

Sequitur distinctio 36.

Circa distinctionem 36, in qua Magister inquit qualiter omnia dicuntur esse in Deo et in Dei scientia et cognitione et per ipsum tamquam per artificem in cuius arte sunt omnia, queritur utrum respectu diversorum intelligibilium sit in Deo formaliter pluralitas idearum tamquam exemplarium ex natura rei distinctorum, quod sic per Augustinum 11 capituli 10, 8 “in Dei sapientia sunt infinita quedam et infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt invisibiles atque incommutabiles rationes rerum visibilium et mutabilium, que per ipsam facte sunt”. Et 7 De trinitate, capitulo 10, “verbum divinum est ars omnipotentis atque sapientis Dei plena omnium rationum viventium et incommutabilium”. Ecce quod in Deo ponit pluralitatem rationum que sunt formaliter vita et ita sunt in Deo formaliter. Contra: quanto actus intelligendi est illimitator, tanto potest idem plura ostendere, igitur actus simpliciter infinitus potest secundum idem sui infinita ostendere. Notandum quod a quibusdam ponitur in Deo pluralitas et distinctio idearum que dicuntur rationes exemplares vel causales rerum intellectarum et scibilium, sunt enim exemplaria rerum et sunt principia causalia earum. Rationes, igitur, quibus probatur distinctio huiusmodi idearum quedam sumuntur ex eo quod sunt exemplaria et principia cognoscendi res seu rationes representative rerum, quedam vero ex eo quod sunt rationes causales seu principia causalia contra quam opinionem pono duas conclusiones.

Prima conclusio est quod respectu diversorum intelligibilium non sunt formaliter in Deo plures idee tamquam rationes cognoscendi seu tamquam exemplaria representativa aliquantulum distincta ex natura rei. Probo hoc: ei derogat perfectioni divine et intelligentie, sequitur enim quod in Deo sit exemplar imperfectum et diminutum. Probo illud exemplar est imperfectum et diminutum in ratione exemplaritatis et principii ostensivi, quod non est exemplar et ratio representativa et cognitiva, nisi huiusmodi lapidis tantum et per quod et secundum quod formaliter habens ipsum non est cognoscens nisi hunc lapidem. Probo, quia ille intellectus esset imperfectus et diminutus in ratione potentie et virtutis cognitive qui non esset cognitivus nisi huius lapidis, igitur pari ratione de actuali intelligentia et de ratione cognitiva huius lapidis, sic autem esset de *a* ratione ideali huius lapidis, ut distinguitur ab omni idea alterius intelligibilis.

Preterea, sequitur quod in Deo sunt formaliter idee et exemplaria inequalia secundum perfectionem. Consequens derogat perfectioni divine, quia ubi est inequalitas, ibi est minus et excessus et ita imperfectum. Consequentia probatur: *b* idea lapidis ut precise ostensiva lapidis

et ut distinguitur ab *a* idea hominis est inequalis secundum perfectionem ipsi *a*. Probo: exemplar distinctum proprium et adequatum obiecti nobilioris et per et secundum quod formaliter habens ipsum cognoscit ipsum obiectum nobilius precise et adequate est perfectius et dignius in ratione ostensivi et cognitivi. Sic erit de *a* idea hominis sumpta in sua precisione ut distinguitur ab idea que est ratio ostensiva et representativa lapidis, igitur maior patet, quia aliter ex nobilitate obiecti non posset argui maior nobilitas scientie contra Aristotelem primo De anima. Ex quo ultra arguitur quod collectum ex *a* et *b* esset perfectius formaliter quam *a* precise, quia esset formaliter ostensivum plurium et nobiliorum obiectorum, nec obstat identitas realis, quia secundum adversarium in creatura ratio vite est nobilior quam ratio substantie, et ratio humanitatis quam ratio animalitatis, licet sint idem realiter ex eo quod distinguuntur ex natura rei, nec obstat etiam infinitas quia infinitus ignis esset nobilior infinita aqua, et in aqua infinita ratio substantie esset perfectior quam ratio entis secundum eos.

Tertio, aut divinus intellectus secundum omnino eandem rationem idealem et exemplarem cognoscat lapidem et divinam essentiam, aut non. Si primum, habetur propositum, tum quia multo magis per eandem rationem exemplarem poterit cognoscere hanc creaturam et illam, quia maior est diversitas et dissimilitudo huius creature ad divinam essentiam quam huius creature ad creaturam aliam, tum quia si eadem ratio idealis et exemplaris representat divinam essentiam et lapidem, igitur lignum et quamlibet creaturam, igitur eadem ratio est idealis et exemplaris omnium creaturarum et essentie divine, tum quia rationes partis opposite eque sunt contra hoc sicut contra illud. Si secundum, contra: tum quia divina essentia non magis esset ratio cognoscendi lapidem quam idea ligni sit ratio cognoscendi lapidem, patet quia sicut lapis et lignum habent in Deo proprias rationes exemplares adequatas, ita lapis et divina essentia, tum quia idea representativa divine essentie esset forma in infinitum perfectior quam idea precise representativa lapidis, quia est proprium et adequatum exemplar ostensivum obiecti in infinitum nobilioris, et quia illa idea obiective visa beatificat obiective, non autem idea creature.

Preterea, si Deus non per omnino eandem rationem exemplarem cognoscat plures creaturas, sequitur quod non cognoscit formaliter unam creaturam, et in respectu et habitudine ad aliam rem. Consequens est falsum, quia non cognosceret formaliter hoc ens ut distinctum ab illo vel ut maius aut minus illo, aut patrem illius. Consequens probo, quia per ideam *a* representativam precise hominis, et per *b* ideam representativam precise ligni cognoscit Deus

hominem et lignum mere absolute eo modo quo intellectus noster co- **[310b]** -gnosceret hominem et lignum per duos actus, quorum unus esset notitia precise hominis et alius precise ligni, hoc autem non sufficit ad cognoscere formaliter in actu hoc relative et in habitudine ad aliud, ut probatum est distinctione prima. Arguitur igitur sic: omnis ratio seu idea que est formaliter representatio huius rei non absolute, sed huius rei formaliter in habitudine ad illam, est formaliter representativa huius est illius. Patet, quia contradictio est illam representationem esse huius ad illud qui representetur hoc et illud, sed in Deo est ratio huiusmodi, ergo est ratio representativa plurium, ergo frustra ponitur correspondere pluralitas idearum. Confirmatur: cum Deus formaliter cognoscat hoc in determinata relatione ad illud, puta ut lignum nobilius lapide, aut igitur cognoscit lignum formaliter in relatione ad lapidem per *a* ideam ligni, ut precise sumpta, et ut distinguitur et prescinditur ab *e* idea lapidis, aut per utramque ideam simul, aut per aliquam tertiam que sit *d*. Si tertium, habetur propositum, quia illud esset idea et ratio exemplaris communis amborum et per eam intellectus divinus cognoscit lignum et lapidem distincte et ut distincta. Si primum, adhuc propositum, quia per *a* ideam precise sumpta Deus cognoscit formaliter utrumque, quia contradictio est cognoscere hoc formaliter in habitudine ad illud qui eo ipso formaliter cognoscatur hoc et illud. Si secundum, contra: Deus per *a* idea ligni ut prescidit ab *e* et circumscribendo *c* non cognoscit lignum relative et in respectu ad aliud, igitur nec propter adiunctionem ipsius *e*. Probo consequentiam, quia Deus non cognoscit lignum relative per adiunctionem illius idee que non est cognitio, nec representatio ligni Deus etiam non aliter cognoscit lignum. Probatur: aut propter adiunctionem vel circumscriptionem illius quod non est sibi aliquo modo cognitio ligni, sequitur per locum a toto in modo *e*, idea non dat Deo formaliter cognoscere lignum, igitur non dat Deo cognoscere lignum relative. Sequitur etiam *e* idea lapidis non dat ipsi *a* idee ligni representare aliud vel aliter quam representet *a* precise sumptum, igitur non dat sibi representare lignum relative. Confirmatur: si *a* et *e* distinguerentur realiter, et *a* esset precise cognitio ligni, et *e* precise cognitio lapidis, tunc Deus per *a* et *e* non gnosceret hoc in habitudine ad illud, nec propter appositionem *e* gnosceret lignum aliter quam sine *e*, igitur nec modo cum *a* et *e* sunt idem realiter et distincta formaliter. Antecedens patet, si enim intellectus noster per *b* exemplar, non cognoscit nisi lignum precise, tunc si ipsi *b* addantur varia exemplaria, quorum neutrum representet lignum intellectus, non aliter cognoscet lignum per illud collectum quam per *b* solum. Consequentia probatur, quia *a* ita nunc est precise ratio representativa et ostensiva ligni, sicut esset tunc nec identitas realis dat

sibi formaliter representare non precise lignum secundum te. Ex predictis, igitur potest sic argui: Deus non minus est potens intelligere plura distincta unica idea quam intellectus noster unico actu. Sed intellectus noster unico actu relativo qui est conceptus de predicamento respectivo cognoscit plura distincte, igitur immo Deus non minus est potens intelligere plura distincte quam intellectus noster indistincte, sed intellectus noster potest plura intelligere indistincte per unum actum, ut conceptu coloris concipit albedinum et nigredinum indistincte et non per aliqua distincta ex natura rei in illo actu, quia si per aliquid illius actus cognoscitur albedo precise et per aliquam formalitatem in illo actu cognoscitur nigredo precise, tunc per illum actum cognoscerentur distincte albedo et nigredo.’

Preterea, Deus secundum idem omnino formaliter ex parte sui cognoscit distincte privationem et habitum, igitur et diversos ha- **[311a]** -bitus. Antecedens probatur, quia privatio non habet propriam et adequatam rationem idealem et exemplarem cum non sit per se intelligibilis, nisi in analogia ad habitum. Et quia intellectus creatus posset videre in verbo privationem determinatam distincte, non cognoscendo habitum, et quia privatio non habet propriam rationem causalem et formativam in Deo, igitur nec ideam adequatam. Consequentia principalis probatur, quia rationes partis adversarie eque reducuntur de privatione et habitu, puta quod intellectus divinus non perciperet habitum distingui a privatione, ut patebit arguendo contra conclusionem.

Preterea, Deus per omnino idem ex parte sui iudicat et cognoscit *b*, prius fore et postea esse, postea fuisse, igitur per omnino idem iudicat *b* esse et *d* aliam rem esse. Consequentia probatur, quia eedem rationes sunt contra antecedens que sunt contra consequens, puta quod intellectus divinus non perciperet differentiam inter *b* fore et *b* esse et *b* fuisse, et quod intellectus creatus non potest videre in verbo *b* fore, quin videret *b* esse et *b* fuisse, ut arguunt adversarii. Antecedens probatur primo, quia per idem voluntas vult primo *a* fore, et postea esse et postea fuisse per idem ei quo prius erat productivus *a* est postea producens, ergo similiter videtur ex parte intellectus.

Secundo, quia sicut *c* ratio idealis et exemplaris per quam cognoscit et iudicat precise *b* fore, tunc cum *b* fuerit, nec amplius erit futurum, quero quid intellectus divinus cognoscit et iudicat per *c* rationem. Si iudicat *b* fore vel esse, igitur decipitur si fuisse habetur propositum. Si per *c* nihil iudicat, igitur *c* est ratio indifferens et illimitata ad hoc, ut sit ratio iudicativa vel

non iudicativa talis intelligibilis, igitur per *c* non cognoscitur *b* esse, nec fore, nec fuisse, et ita *c* ponitur otiose et frustra in Deo in eternum. Confirmatur: per omnino idem Deus est nunc cognoscens et iudicans *b* esse in *a* instanti presenti et postea iudicans *b* esse in *c* alio instanti, tunc presenti et sic de singulis instantibus, igitur per omnino idem est cognoscens et iudicans non *b* esse et *d* rem aliam esse. Consequentia patet ut prius, quia rationes adversariorum eque sunt contra utrumque. Antecedens probatur, quia aliter Deus respectu *b* rei singularis haberet infinitas rationes ideales, secundum infinita instantia cuiuslibet temporis et per illas copularet esse illi rei secundum infinita instantia, et iterum infinitas rationes ideales respectu eiusdem rei ut comparet ad infinita instantia temporis in quo illa res non est, ponere autem talem infinitatem idearum in Deo formaliter ex natura rei distinctarum, videtur superfluum.

Preterea, diversis partibus eiusdem rationis in aliquo toto creato corresponderent in Deo proprie et distincte idee, quarum quilibet esset proprium et adequatum exemplar certe partis. Consequentia patet, quia rationes partis adverse hoc concludunt sicut de quibusdam creaturis. Falsitas consequentis probatur, quia secundum infinitas partes huius quanti albi continui, quarum una est duplo minor altera essent in Deo infinite idee eiusdem rationis formalis et denominationis consimilis. Consequens est falsum, quia divine simplicitati derogat quod in Deo formaliter sit aliqua latitudo graduum eiusdem rationis distinctorum etiam secundum adversarium. Et probatur ibi esset formaliter aliquid imperfectius altero, quia proportionabiliter sicut hoc totum continet formaliter suam medietatem et illa medietas aliam medietatem et sic in infinitum, ita idealis ratio correspondens adequate toti isti continebit formaliter idealem rationem correspondentem medietati, et continebit duplo plus quam idea, correspondens medietati, et ita esset minus simpliciter et esset in Deo latitudo dissimilis in infinitum secundum gradus proportionales, licet eosdem reali- **[311b]** -ter sicut in creatura est latitudo divisibilis in infinitum secundum partes proportionales distinctas realiter.

Secunda conclusio: diversis creaturis a Deo producibilibus non correspondent in Deo distincta ex natura rei, que sunt rationes causales et formative seu principia causalia, quibus Deus est effectivum per modum artificis. Probatur primo: hoc derogat perfectioni divine, quia in Deo esset formaliter aliquod principium causale imperfectum et diminutum. Probo illud principium causale quo est imperfectum diminutum per quod, et secundum quod formaliter habens ipsum non est sufficiens et potens producere, nisi hanc albedinem finitam precise et non

maiolem, nec alium effectum. Sed a ratio idealis et exemplaris huius albedinis, ut distinguitur ab omni alia ratione ideali et causali erit huiusmodi secundum te, igitur maior probatur, quia tale principium causale quo est limitatum in ratione principii causalis productivi et in ratione potentie productivae, et quia habens *a* est formaliter per ipsum, et secundum ipsum aliquantulum potens, sed non omnipotens, quia non omnia potens, igitur non perfecte potens, igitur illud est principium imperfectum in ratione potentie effectivae. Confirmatur, essentia seu suppositum agens tamquam quod est imperfectum in ratione suppositi activi, quod non est potens producere nisi calorem, igitur principium causale quo est imperfectum secundum quod nihil est potens agere, nisi calorem. Sicut enim perfectio vel imperfectio suppositi agentis in ratione agentis attenditur penes effectus in quos potest tamquam quod ita perfectio vel imperfectio principii causalis attenditur penes effectus in quos potest tamquam quod seu in quos aliquid potest per illud et mediante illo. Confirmatur, sequitur quod in Deo non est aliquod principium quo Deus sit potens ad producendum sufficienter unum hominem vel unum asinum, vel unum ignem aut etiam corpus asini. Probo, quia non esset aliqua idea seu unica idea artificialis, et ratio formativa respectu corporis, et respectu anime et respectu materie, et respectu forme, quia ista sunt producibilia alterius rationis. Similiter, in corpore animalis continentur partes eterogeneae, quibus non correspondebit omnino eadem idea.

Preterea, sequitur inequalitas principiorum et rationum causalium in Deo secundum perfectionem et nobilitatem. Probo, quia principium causale per quod et secundum quod formaliter habens ipsum est potens producere animam intellectivam est ex se formaliter nobilius principio causali per quod et secundum quod formaliter habens ipsum non est potens producere nisi *d* calorem precise. Patet, quia aliter ex maiori nobilitate actionis et effectivi non potest argui et cognosci maior nobilitas in causa et quia esse productivum nobilioris effectus est perfectionis simpliciter, etsi non conveniret Deo, Deus non esset ens universaliter perfectum, igitur si est principium causale nobilioris effectus non convenit, nec convenire potest ipsi *b* rationi et principio causali ut distinguitur ab *a* principio causali effectus nobilioris, sequitur quod non est formaliter eque perfectum sicut *a*. Ex quo ultra arguitur quod collectum ex *a* et *b* est perfectius et potentius quam *b*, quia quicquid potest produci per *b* potest produci per *a*, *b*, non econtra, nec obstat infinitas illius principii, quia si ignis cresceret in infinitum in potentia calefactiva, adhuc eiusmodi potentia et ratio causalis quatenus precise productiva caloris esset imperfecta in ratione

principii causalis et imperfectior quam potentia infinita productiva caloris et nobilioris effectus simul.

Preterea, ens creatum secundum omnino idem sui potest esse principium causale plurium sive eiusdem rationis, sive alterius, igitur et Deus. Consequentia patet, quia principium divinum causale est perfectius et illimitatius. **[312a]** Antecedens declaratur in multis, quia hic calor secundum idem sui est causativus successive plurium calorum similium. Similiter, de sole alioquin in eo essent actu infinite rationes causales essentielles, quarum una non contineret formaliter alteram secundum infinita individua, quorum est productivus in tempore eterno. Similiter, calor secundum idem sui est productivus caloris et productivus sue speciei vel sensationis in sensu. Et albedo secundum idem sui causat sensationem et imaginem circa speculum, quia omnia ista representant idem, et actus voluntatis secundum idem sui causat habitum in voluntate et actum in potentia illa imparatum. Similiter, voluntas secundum idem sui causat velle et nolle, et intellectus secundum idem sui est causativus et formativus conceptus individualis, et conceptus specifici, et conceptus generis, et notitiae complexae, et notitiae incomplexae, et intuitive, et abstractivae, et actus apprehensivi, et actus iudicati, et assensus, et dissensus, et dubitationis.

Item, in voluntate et in intellectu essent infinite rationes causales huiusmodi alterius rationis et ita essent infinite perfectionis et nobilitatis formaliter. Consequentia patet, quia in tempore eterno tam intellectus quam voluntas possent habere actus alterius rationis circa infinitas species a Deo successive producibiles, et per potentiam Dei offeribiles intellectui et voluntati.

Preterea, homo per eandem artem habitualement est productivus multorum similium, igitur Deus per omnino eandem artem actualem potest plura producere. Perfectius enim est eodem principio causali posse producere plura.

Preterea, Deus secundum omnino idem ex parte sui est causa finalis diversorum, puta mei et tui, igitur pari ratione de causalitate effectiva. Utrumque enim equali probabilitate poterit sustineri et defendi. Antecedens probatur, quia Deus secundum omnino eundem gradum immense sue bonitatis est finis mei vel tui, et secundum illum est a me et a te diligibilis super omnia et est beatitudo obiectiva mei et tui.

Preterea, sequitur quod Deus non est simpliciter causans et producens me vel te, sed tantum secundum quid. Probo, quia secundum plura sui est non producens quam producens, immo secundum infinitum plura est non creator, et non conservator mei quam conservator et creator, quia precise secundum *b* ideam mei, non autem secundum alias infinitas rationes eiusmodi in eo formaliter existentes.

Confirmatur, si *d* anima precise secundum unam rationem sui et secundum unum gradum perfectionis, quem formaliter continet causaretur et dependeret a Deo, et secundum plures sui gradus non causaretur, nec dependeret a Deo, sequitur quod ipsa non causaretur, nec dependeret simpliciter a Deo secundum essentiam anime, sed tantum secundum quid, igitur pari ratione econverso. Si Deus secundum unicam rationem precise causalem in eo existentem sit causa mei et secundum alias infinitas non sit causa mei. Ex quo ultra arguitur quod non sum obligatus diligere summe Deum secundum se et simpliciter, sed tantum secundum quid, puta precise secundum rationem causalem per quam, et secundum quam precise est productivus et conservativus mei et terminat dependentiam mei. Circumscripta enim causalitate et dependentia non sum sibi obligatus. Ex quo ultra sequitur quod non secundum omnino idem est Dominus mei et tui, quia non secundum omnino idem causat me et te vel terminat dependentiam mei et tui causaliter, quia non secundum essentiam in se, ut distinguitur ab huiusmodi rationibus causalibus alioqui frustra apponerentur. Non sum autem obligatus vel subiectus Deo, nisi secundum illud et ratione illius quod terminat dependentiam meam. Ex quo sequitur quod non teneor diligere Deum secundum omnino idem, secundum quod tu. Et beatus Petrus videns in essentia divina *b* ideam suam, et *c* ideam Pauli, magis tenent diligere *b* [312b] quam *c*, vel Deum diligere secundum *b* et propter *b* quam secundum *c* vel propter *c*. Paulus autem econtra, et ita non beatificantur in eodem omnino obiective, nec finiuntur omnino eodem.

Preterea, si Deus secundum omnino idem ex parte sui non sit productivus plurium alterius rationis, sequitur quod Deus non sit productivus creature. Probo, quia omnino foret productivus creature, nisi per velle et intelligere. Sed hoc non, quia per velle et intelligere producit ad intra Filium, Spiritum Sanctum. Dices: per intellectionem et volitionem sue essentie et per rationem representativam sue essentie divine est productivus ad intra, sed per rationes ideales et exemplares creaturarum est productivus et formativus creaturarum. Contra: sit ratio *d* ratio representativa sue essentie vel secundum quam diligit suam essentiam: aut igitur *d* est ratio



causalis creaturarum, aut non. Si primum, igitur, idem omnino est principium causale producibilium alterius rationis et propositum *d* ei esset principium causale omnium creaturarum, quia non magis huius quam illius. Si secundum, igitur Deus non producit creaturas ex amore sui, igitur non propter se. Et ultra sequitur quod divina essentia non esset intellectui divino ratio cognoscendi creaturas magis quam idea huius creature sit ratio cognoscendi aliam creaturam.

Item, divina essentia ut formaliter distincta ab omnibus huiusmodi rationibus causalibus creaturarum, aut est principium causale respectu alicuius effectus causalis, aut non. Si primum, non magis huius quam illius, igitur omnium, igitur frustra adduntur huiusmodi rationes ideales, quia non esset ratio causalis diminuta et insufficiens, nec representatio imperfecta. Si secundum, contra: tum quia ipsa ut sic est principium productum ad intra et respectu producti infiniti, ergo multo magis est sufficiens principium productivum ad extra respectu producibilis imperfectioris, tum quia ipsa ut sic est ratio cognoscendi seipsam perfecte, igitur cognoscendi secundum omnem perfectionem simpliciter, que sibi formaliter inest, igitur quod ipsa sit omnipotens, creativa et sapientia etc., ergo ipsa ut sic est ratio representativa et productiva creaturarum.

Preterea, hoc repugnat divine libertati. Probo: voluntas divina secundum omnino idem sui est principium causale diversorium, igitur pari ratione interius. Consequentia tenet, quia velle non minus est ratio causalis quam intelligere Deus, enim non minus causat per velle quam per intelligere. Antecedens probatur, quia divina voluntas ratione sue libertatis et illimitationis potest secundum omnino et per omnino idem sui velle opposita producibilia divisim, per idem ei quo est volens *a* potest nolle *a*, ergo potest velle oppositum ipsius *a* ut voluntas divina per illud et secundum illud quo est potens rectificare hanc lineam est potens curvare eam, quia per illud quo est potens rectificare eam est potens libere rectificare eam, igitur per illud est liberum et indifferens et illimitatum ad rectitudinem et eius oppositum, et ponere et tollere rectitudinem, igitur ponere curvitatem.

Preterea, divina voluntas ratione sue libertatis per idem omnino sui est productiva ipsius *b* et destructiva eiusdem, igitur per idem et secundum idem est productiva oppositorum et diversorum alterius rationis. Consequentia patet, quia productio et destructio eiusdem sunt alterius rationis. Antecedens patet, quia divina voluntas per illud formaliter qui libere tenet inesse hanc rem potest eam non conservare et desinere a manutenentia.

Item, divina voluntas per omnino idem est approbativa homini et reprobativa mali, igitur premiativa boni et punitiva mali, igitur collativa premii et illativa punitionis. Primum antecedens patet: per idem est volitiva habitus et oditiva privationis, sicut per idem est inductiva habitus et expulsiva privationis secundum malum iniustitie est privatio boni.

Preterea, ut supra arguitur sequitur quod respectu totius compositi ex infinitis partibus eiusdem rationis correspondebit in Deo formaliter quedam ratio causalis continens gradus causales eiusdem rationis et denominationis consimilis distinctos ex natura rei, quorum unus esset perfectior et remissior alio, quia continens formaliter et amplius. Hoc autem repugnat simplicitati- [313a] -ti divine. Ex quo ultra sequitur quod in motu celi continue adveniunt nove partes motus et priores cessant et cedunt, ita in Deo essent rationes causales eiusdem rationis formaliter et Deus continue ageret et influeret noviter, secundum rationes causales alias quam prius, et ille secundum quas prius agebat manerent postea perpetuo otiose.

Preterea, huiusmodi rationes causales essent distincte realiter. Probo dupliciter. Primo, quia media partis adverse eque concludunt distinctionem realem sicut formalem, ut infra patebit. Secundo, ea distinguuntur realiter, quorum unum actu causat realiter reliquo realiter non causante vel secundum, quorum unum aliqua causa realiter causat ipsa non causante secundum reliquum. Sed *a* et *b* rationes ideales causales ligni et lapidis erunt huiusmodi. Si Deus producat lignum non lapidem vel econtra, igitur. Maior probatur. Primo, propter identitatem essentialem personarum cum distinctione reali non stat unam personam causare aliquid ad extra, alia non causante, quia secundum Augustinum, “opera trinitatis sunt indivisa”, 13, igitur multo magis propter identitatem non solum essentialem, sed etiam realem inter *a* et *b*, non stabit quod aliquid producat per *a* et nihil producat per *b* vel econtra. Secundo, nisi persone divine distinguerentur realiter non staret unam uniri extra sine alia, igitur pari ratione nisi *a* et *b* distinguantur realiter non stabit aliquid ad extra produci realiter per *a* et non per *b*. Tertio, identitati reali aliquarum rationum vel perfectionum in creatura cum aliquali distinctione ex natura rei repugnat produci creaturam secundum unam illarum non secundum alteram etiam secundum adversarios, ut Socrates produci secundum esse animalitatis, non secundum esse humanitatis, igitur identitati reali principiorum productivorum et causalium repugnat aliquid ens causare secundum unum, non secundum reliquum, pari ratione eque enim poterit fingi et sustineri utrumque.

Quarto, identitati reali talium rationum repugnat quod habens illas foret causa formalis secundum unam, non secundum aliam, etiam per adversarios, igitur pari ratione de causalitate effectiva, quia equali probabilitate potest defendi utrumque.

Contra conclusiones predictas arguitur per rationes cuiusdam tenentis oppositum utriusque. Primo sic: quelibet effectus relucet distincte in divina essentia tamquam in sua arte causali et perfectius et distinctius quam in suo proprio genere, igitur quilibet effectus est illic secundum propriam et distinctam rationem idealem et exemplarem. Consequentia probatur si sunt et representantur ibi secundum omnimode unam et indistinctam rationem, igitur sunt et relucet ibi indistincte. Confirmatur, exemplata et representata non sunt dissimilia que eodem exemplari perfecto et totali conveniunt et communicant, quoniam que uni et eidem sunt similia inter se sunt similia ut si plures cere figurantur secundum eandem imaginem sigilli impressiones erunt similes, ergo omnes creature a Deo cognite et producte sunt omnino similes. Secundo, sequitur quod intellectus divinus non percipit nec percipere potest distinctionem inter *a* et *b* creaturas. Probatio, quia intellectus divinus non cognoscit *a* et *b*, nisi in essentia divina, ut in ratione cognitiva et representativa, igitur si omnino eadem est ratio divina cognitiva respectu *a* et *b* sequitur quod *a* et *b* sunt omnimode unum secundum apparentiam obiectivam in Deo, igitur intellectus divinus non distinguit inter *a* et *b*. Con- **[313b]** -firmatur divina essentia est eo modo ratio cognoscendi *a* et *b* quomodo *a* et *b* relucet in ipsa tamquam in arte, sed non relucet in ea distincte et ut distincta secundum te. Probo, quia eo modo relucet in divina essentia quo modo sunt in ea, ut in arte causali, sed per te *a* et *b* non sunt in Deo distincte et ut distincta, immo ut unum et indistincte, quia ratio idealis et causalis secundum quam sunt in divina essentia est omnimode una et eadem indistincta, igitur non relucet in ea distincte et ut distincta, igitur non est ratio cognoscendi illa distincte. Confirmatur: quantacumque in re sit diversitas effectivum dum modo non cognoscatur in seipsis, sed in aliquo communi obiectivo vel communi ratione eorum diversitas nihil confert ad eorum distinctam cognitionem. Sed intellectus divinus non intelligit *a* et *b* in seipsis, sed solum in sua essentia secundum quod ibi relucet, igitur si *a* et *b* sunt in divina essentia omnino idem, ut in ratione exemplari sequitur quod divinus intellectus nullam percipit ibi eorum distinctionem. Ex eisdem arguitur quod intellectus creatus non potest videre in verbo seu in divina essentia distincte *a* et *b*, sed tantum ut unum et indistincte. Ex quo etiam sequitur quod quilibet videns Deum videret eo ipso omne verum quod videt Deus, et beatus non posset videre in verbo *a* futurum qui videret *b* futurum. Probo, quia videns *a* futurum

in verbo eo videt *a* futurum, quia videt exemplar in quo relucet *a*, igitur si omnino idem exemplar representat *a* et *b* non videt in illo exemplari et per illud exemplar precise, quin simul videat *b*.

Tertio principaliter, sequitur quod *a* et *b* effectus non distinguuntur. Probo, quia quicumque effectus in creaturis distinguuntur habent a prima causa originaliter esse distincta, sed si *a* et *b* habent in Deo omnimode eandem rationem idealem et causalem non habent in divina essentia originaliter quod distinguantur, igitur. Maior patet, sicut enim effectus non habet esse nisi a prima causa, ita nec habet esse distinctum seu distingui ab alio nisi originaliter a prima causa. Probatur minor, quia si *a* et *b* habent in Deo omnino eandem huiusmodi rationem, igitur *a* et *b* non distinguuntur in essentia divina. Sed divina essentia eo modo dat esse ipsis *a* et *b* sicut sunt in ipsa, igitur *a* et *b* non habent a prima causa originaliter quod distinguantur. Ex eodem arguitur quod Deus non dabit esse creaturis causa, enim que est effectibus ratio essendi est ipsis originaliter ratio distinctiva.

Quarto, sequitur quod non stat Deum producere *a* in esse sine *b*, nec econtra. Probatio consequentie, quia si in Deo est omnino et precise una et eadem ratio causalis respectu *a* et *b*, igitur si Deus producit *a*, applicatur eodem modo et secundum omnino idem ad agendum, sicut se applicaretur ad producendum *b*.

Quinto, per Augustinum 83 Questionibus, questione 46, ubi multa loquens de ideis sic ait: “quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse, quod si recte non potest dici, restat ut omnia ratione sunt condita, nec eadem ratione homo qua equus, hoc enim absurdum est existimare. Singula, igitur, propriis creata sunt rationibus has autem rationes ubi esse arbitrandum est nisi in ipsa mente creatoris”, hec Augustinus. Quod autem huiusmodi rationes quas etiam vocat ibidem ideas sint in Deo formaliter et non in ipsis creaturis, patet, quia Augustinus ibidem prius sic ait: “Siquidem tanta in eis ideis vis constituitur, ut nisi hiis intellectis sapiens esse nemo posset”. Et infra, idee sunt principales quedam forme vel rationes rerum stabiles atque immutabiles, que formate non sunt ac per hoc eterne, ac semper eodem modo se habentes que divina intelligentia **[314a]** continentur, et cum ipse nec oriantur, nec intereant secundum eas, tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interierit”, hec Augustinus. Si dicitur quod huiusmodi idee sunt quidditates et essentie causales ut cognite a Deo ab eterno clare et distincte et diffinitive, et ideo dicuntur eterne, quia eternaliter et necessario posite in divino prospectu secundum esse obiectivum, nec sunt Deus,

nec sunt in Deo formaliter, sed sicut cognitum in cognoscente, et sicut res artificiales producibiles in mente artificis. Et sic videtur respondere Doctor subtilis, libro 1, distinctione 35. Contra hoc sunt aliqua dicta Augustini, ubi supra. Nam ibidem dicit sic: “has autem rationes ubi esse arbitrandum est nisi in mente Creatoris, non enim extra se positum quicumque intuebatur ut secundum illud constitueret quod constituebat. Nam hoc opinari sacrilegum est.” Et infra: “hee rationes rerum principales non solum sunt idee, sed etiam ipse vere sunt, quia eterne sunt atque incommutabiles manent, quarum participatione fit ut sit quidquid est quoquo modo est”, hec Augustinus. Sed creatura in esse cognito ab eterno non vere est, sed habet tantum esse fictum et secundum quid et esse rationis, ut distinguitur a Deo et esse reali et temporali eiusdem, res etiam existens non habet esse ex eo quod participet ens rationis et secundum quid.

Item, ibidem dicit quod istarum idearum et rationum visione sit anima beatissima et quod eas non potest intueri, nisi anima rationalis non quelibet, sed que sancta et pura fuerit.

Sexto, arguitur per Anselmum in libello De unitate divine essentie et pluralitate creaturarum, ubi inter multa que ponit ad presens propositum, sic ait in forma: autem hac rerum prima et summa, si nulla prorsus esset distinctio nature ipse quidem nullatenus vel hic vel ibi formaliter essent distincte, sed ut secundum eandem penitus formam omnes essent formate, sicut omnes necessario et eiusdem consisterent forme. Et subdit: “quis enim secundum formam eandem imaginem fecerit equi et asini, quis penitus idem vel intus vel foris attendat exemplar cum formare voluerit domum et discum tunicam et cappam etc.”.

Ad primum, negatur consequentia. Sufficit quod sit ibi secundum rationem illimitatam equivalentem propriis rationibus diversorum et eque distinctivam cuiuslibet, sicut si esset illius tantum. Ad confirmationem loquendo de exemplari spirituali per obiectivam representationem et exhibitionem terminativam, negatur maior. Patet de actu intellectuali comparativo diversorum. Sed ratio procedit de exemplari corporali, cuius assimilatio attenditur secundum figurationes et liniationes et colorationes et secundum convenientiam talium. Ad secundum, per illud arguitur quod huiusmodi idee sunt distincte in Deo realiter, aliter non percipiet *a* et *b* creaturas distingui realiter, sed tantum formaliter et quod intellectus creatus non poterit cognoscere in verbo *a* distingui realiter ab alia creatura, quia intellectus divinus non cognoscit *a* et *b*, nisi eo modo quo relucent in divina essentia, et ut sunt in ea sed sunt in ea, ut tantum distincta formaliter et ut unum realiter etc. Dicendum igitur negando consequentiam ad

probationem, cum infertur quod *a* et *b* essent omnimode unum in Deo, secundum apparentiam obiectivam. Si intelligitur quod divino intellectui apparent esse unum et idem obiectum, negatur consequentia, licet enim apparentia sit formaliter in se una per quam apparent aliqua obiective, tamen per eam apparent distincta obiecta esse distincta. [314b] Ad confirmationem per idem probatur quod ille rationes in Deo distinguuntur realiter, per idem etiam probatur quod nullus intellectus sive creatus, sive increatus posset percipere *a* esse quantum et extensum vel *a* esse duplo maius extensive quam *b*, vel distare ab ipso per spatium pedale, quia cognitiones quibus hec cognosceret sunt spirituales et inextense et simul situ et loco, igitur *a* et *b* non relucunt in illis notitiis, nisi ut inextensa et indistincta.

Respondeo, igitur, cum dicitur divina essentia eo modo est ratio representandi *a* et *b*, seu quod intellectus divinus eo modo cognoscit *a* et *b* quomodo *a* et *b* relucunt in divina essentia tamquam in arte. Dicendum quod hec propositio potest habere duplicem sensum. Unus sensus est ut denotetur uniformitas seu uniformis modus ipsius formalis relucentie ad ipsam formalem representationem et cognitionem, et sic conceditur quod, qualis est ipsa formalis relucentia, talis est in seipsa formalis representatio et cognitio, et qualem modum essendi habet, hoc habet illud, quia idem omnino sunt et ideo si relucentia formalis seu illud per quod et in quo aliqua relucunt sit perfectum et infinitum cognitio, et illud per quod intellectus est cognoscens est perfectum et infinitum, nec valet discursus in isto sensu.

Alius sensus est ut denotetur uniformitas ipsius formalis relucentie ad rem cognitam obiective et representatam seu ad modum obiective representatum et cognitum, ita quod sit sensus qualis est in se formaliter ipsa relucentia et qualem modum in se habet essendi formaliter talem modum habet vel habere videtur res obiective cognita et representata, et sic negatur, quia cognitio mea est spiritualis et habet esse inextensum, et tamen illud quod obiective relucet in ea, nec habet nec habere videtur, nisi modum spiritualement et inextensum. Et cum dicitur quod *a* et *b* relucunt in essentia divina indistincte et ut unum, quia sunt et continentur ibi omnino indistincte, si notetur modus ipsius formalis relucentie seu eius secundum quod formaliter est relucentia et continentia conceditur, quia sensus est quod illud est unum et indistinctum in quo relucunt et secundum quod Deus est continens illa. Si vero notetur modus obiective relucens et apparens, vel eminenter et virtualiter contentus negatur.

Ad aliam confirmationem, negatur assumptum, si illud obiectivum commune vel illa ratio communis sit infinita et perfecta simpliciter et in representando equivalens infinitis propriis distinctis et adequatis. Ratio autem procedit de ratione communi representante confuse, sicut conceptus specificus vel generalis in nobis.

Ad alia que adducuntur non valent, quia fundantur super falsa imaginatione, scilicet quod intellectus creatus videt *a* vel *b* in verbo per hoc quod videt in verbo quoddam exemplar et quandam imaginem propriam et adequatam ipsius *a*, que precise est imago ipsius *a*, quomodo pluribus corporibus presentibus alicui speculo cuilibet corpori correspondet propria imago. Si intellectus creatus videt in verbo *a* vel *b* per hoc quod intellectu vidente verbum Deus causat visionem per quam videt verbum, et *a* determinate representari in essentia divina.

Ad tertium, negatur consequentia. Ad probationem, negatur minor. Ad probationem, per idem arguitur quod *a* et *b* non habent a Deo originaliter esse distincta realiter, sed tantum formaliter. Concedo, igitur quod *a* et *b* in divina essentia non distinguuntur, id est illud secundum quod formaliter Deus continet *a* et *b* est omnino idem indistinctum, et cum dicitur quod essentia divina eo modo dat esse **[315a]** ipsis *a* et *b*, sicut sunt in ipsa, dico quod hec potest habere duplicem sensum. Unus est quod *a* et *b* per productionem accipiunt formaliter et intrinsece tale esse et taliter esse, quale et qualiter esse habet formaliter illud principium et causa dans illis esse, et in qua continebantur. Et sic negatur, quia illud principium erat unum realiter et illa esse producta, et data sunt distincta realiter. Illud etiam principium est necessarium et eternum et infinitum, et illa esse accepta sunt contingentia et temporalia, et dat illis esse imperfectum. Alius sensus est quod secundum rationem eiusdem causalitatis dat illis esse secundum quam continebantur in Deo, et sic est verum, quia sicut continebantur in Deo virtualiter et secundum causalitatem effectivam, et ut in arte vel artifice, ita Deus dat illis esse secundum causalitatem effectivam. Consimiliter, quelibet causa secunda eo modo dat esse suo causato, quomodo eius causatum erat in ea, id est secundum eiusdem causalitatis rationem, si etiam intelligitur quod eo modo secundum perfectionem, vel imperfectionem causalitatis et continentie, sic adhuc conceditur, quia si erant et continebantur in Deo, ut in causa perfecta, et sufficiente, sequitur quod Deus dat illis esse tamquam principium perfectum sufficiens, et sicut erant in causa secunda, ut in activo diminuto et insufficiente, ita causa secunda dat illis esse tamquam dans diminutum et insufficientem.

Ad quartum, negatur consequentia. Ad probationem, licet applicetur secundum idem et eodem modo quantum est ex parte Dei formaliter, tamen applicatur ad aliud, et non ad idem nunc et tunc.

Ad quintum, ex illa auctoritate non videtur sufficiens argumentum ad propositum, quia aut Augustinus intenderet ponere distinctionem realem idearum, et hoc non, quia in Deo esset compositio, aut distinctionem formalem ex natura rei minorem distinctione reali, et hoc non est verisimile, cum talis modus distinctionis post multa tempora Augustini fuerit noviter inventus, aut intenderet solum distinctionem rationis, et sic non est pro opinione ad quam adducitur. Dicunt autem multi quod non intendit nisi distinctionem rationis. Unde et illas frequenter nominant rationes.

Item, si propter illa verba esset dicendum in Deo esse formalem distinctionem rationum idearum et pluralitatem, convenientius diceretur in Deo esse plures et distinctas formas, quia Augustinus dicit ibidem quod ‘idea’ Grece dicitur Latine ‘forma’ vel ‘species’. Quod autem dicitur ‘ratio’, receditur a proprietate interpretationis, potest igitur dici quod per huiusmodi rationes formativas et ideas, Augustinus intendit artem et cognitionem divinam, que quamvis sit in se formaliter una et indistincta, dicitur tamen plures idee equivalenter et eminenter, quia clare et distincte representat quamlibet rem, ac si contineret formaliter infinitas artes proprias et adequatas propriis rebus factibilibus, et ita equivalet infinitis artibus quarum quilibet esset appropriatum et adequatum exemplar unius rei factibilis. Et quod non inconvenienter loquamur de divina perfectione pluraliter qualiter esset in re plurificata, patet primo per illud Psalmum, “Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius”; et iterum: “quam magnificata sunt opera tua, Domine, nimis profunde facte sunt cogitationes tue”. Et Isaie 55, “non enim cogitationes mee cogitationes videre”, dicit Dominus, “quoniam sicut exaltantur celi a terra, sic exaltate sunt vie mee a viis [315b] vestris, et cogitationes mee a cogitationibus vestris”. Cum autem dicit Augustinus quod non eadem ratione conditus est homo qua equus, sed singula propriis rationibus condita sunt. Respondeo: non eadem, id est non unica universali confuse et indistincte representante res, sed propriis et aliis rationibus virtualiter et equivalenter, id est aliqua arte equivalenter propriis et distinctis quoad distinctivam representationem, quia aliqua arte que proprie et distinctive representat unamquamque rem factibilem, tamquam si esset propria illi que etiam licet sit communis per illimitationem et inadequationem, est tamen cuilibet



rei factibili propria per distinctivam et discretivam et individualement representationem, et ita per equivalentiam virtualement. Aliter potest dici et in idem reddit, et est responsio Bonaventure libro primo, distinctione 35, quod huiusmodi idee dicuntur et intelliguntur plures, non secundum illud quod sunt in se formaliter, sed secundum illud ad quod sunt. Idea enim dicitur exemplar et imago representativa, ideo dicitur habitudinem ad alia, et pluralitas attributa imagini intelligitur secundum habitudinem ad ea que est, sicut enim representata per unum exemplar intellectualem dicimus esse unum secundum rationem, puta esse unum specie vel genere secundum partionem unius exemplaris, ita econtra potest attribui pluralitas exemplari ex habitudine ad illa quorum est exemplar. Istis consonat illud Romanorum primo, “invisibilia Dei per ea que facta sunt intellecta conspiciuntur etc.”, ubi Glossa: “cum Deus sit una et simplex essentia, nec ex diversitate aliqua constet, pluraliter tamen dicitur ‘invisibilia’, quia pluribus modis per ea que facta sunt cognoscitur, scilicet quod est eternus ex perpetuitate creaturarum, omnipotens ex magnitudine creaturarum etc.”. Ad plenius autem intelligendum intentionem Augustini, ubi supra. Sciendum quod Augustinus intendit ibi excludere triplicem errorem. Unus est quod Deus non agat per artem et cognitionem aliorum extra se per modum artificis sapientis, sed naturaliter ut celum nihil intelligendo extra se. Et contra hoc dicit Augustinus, quia “audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse, quod si recte dici non potest, igitur ut omnia ratione condita sint”. Alius error est quod quamvis Deus agat per artem et cognoscat factibilia extra se, tamen non habet propriam et distinctivam notitiam singularium factibilium, sed communem quasi in genere vel specie, ete representantem confuse et indistincte singularia quomodo homo artifex habet artem universalem in qua non relucet distincte singularia producenda, secundum differentias individuales, et hec fuit opinio Commentatoris, patet supra. Et ad excludendum hunc errorem et ad innuendum quod Deus singularia producendo habeat prius distinctivam et discretivam notitiam, dicit Augustinus quod alia ratione conditus est homo, alia equus, id est non unica communi representante confuse et indistincte animalia vel homines. Sed singula condita sunt propriis rationibus, id est quadam arte representante unumquodque singulariter et distincte, ut hoc. Alius error, quod Deus agat aspiciendo quedam exemplaria extra se, que sint quidditates exemplares universales separate quas Platonici ideas vocant, et Deus in aspiciendo illas quasi dirigatur in agendo hoc vel illud. Et contra hoc dicit Augustinus non quidquam extra se positum intuetur, ut etc. hoc enim poneret imperfectionem scientie in Deo, sicut discipulus propter defectum notitie sufficientis aspicit ad exemplar extrinsecum ut dirigatur **[316a]** in

operando. Aliter potest dici ad Augustinum concedendo responsionem ibi positam, et sic verum est quod alia ratione conditus est homo, et alia equus, quia in alia et alia natura alterius rationis et diffinitionis prius posite in prospectu artificis obiective distincte secundum eas, etiam formaliter quidquid sit, quia quale esse accipit realiter ex tempore creatura per Deum artificem tale esse habebat obiective in prospectu artificis ab eterno, et dicuntur rationes eterne et incommutabiles, quia ab eterno sunt Deo presentes obiective immutabiliter, non mutabiliter sicut representantur in humano artifice. Sed cum dicit quod non quidquid extra se positum intuebatur conceditur, hoc enim dicit contra Platonicos quosdam. Huiusmodi enim essentie ab eterno intellecte a Deo non sunt aliqua posita vere et realiter extra Deum tamquam medium inter Deum et rem fiendam, et tamquam exemplar ad quod Deus aspiciat et quo Deus indigeat, ut dirigatur vel determinetur ad determinatum factibile. Hoc enim est sacrilegum opinari, quia hoc est discipuli imperfecte scientis.

Quod autem dicitur huiusmodi ideas vere esse, quia eterne sunt non intelligitur quod habeant esse verum reale actuale, sed in veritate, ita est quod huiusmodi essentie factibiles sunt ab eterno posite in divino prospectu actualiter. Quod etiam dicit animam rationalem non quamlibet, sed sanctam et puram posse intueri huiusmodi rationes, potest intelligi quod nullus viator potest hanc veritatem videre, sed in patria erit hoc evidens et certum, scilicet Deum esse artem intuitive videntem unumquodque, in via autem nec hoc potest perfecte cognosci nisi mediante fide.

Quod autem dicit animam visione earum esse beatissimam, intelligitur quod ultra beatitudinem essentialem ad augmentum, et ad bene esse amplioris beatitudinis facit videre creaturas in verbo, id est videre Deum ut principium productivum, gubernativum et ordinativum essentialium universi, non quod in hoc consistat essentialis beatitudo, quia quamvis idee essent exemplaria creaturarum existentia formaliter in Deo, adhuc anima non esset beata per se visione earum, ut sunt exemplaria creaturarum, quia secundum Augustinum 5 libro Confessionum, “beatus qui te et illa novit, non tamen propter illa beatior, sed propter te solum beatus”. Aliter potest dici ad ista quod, quia cognitio est naturalis similitudo et imago actualis et expressa obiecti auctoritates loquentes de obiectivis cognitis, ut cognita sunt, attribuunt illis interdum quedam que proprie secundum rem illis non conveniunt, sed que conveniunt exemplari et cognitioni et nomine obiecti, utuntur cognitione et exemplari, sicut res dicuntur in anima esse

eo quod earum species et cognitiones sunt in anima. Et tertio De anima dicitur quod “anima sit sensibilia per sensum et intelligibilia per intellectum, eo quod formaliter afficitur speciebus et cognitionibus eorum, sed etiam econtra, interdum attribuimus imagini et exemplari illud quod vere et proprie ei non convenit pro se, sed rei significate ut dicimus de imagine beati Nicolai, *hic est beatus Nicolaus*”. Interdum autem in eadem serie verborum attribuimus quedam imagini pro se, quedam pro re representata, ut presente pictura dicimus *hic est pulcher equus*, et pulchra pictura ad propositum, quia idee sunt essentie rerum scibiles a Deo ut presentes obiective divino intellectui ob hoc Augustinus, quedam attribuit ideis que vere et proprie **[316b]** conveniunt arti et exemplari, quedam vero que ipsis conveniunt et per se.

Ad sextum per idem. Anselmus enim intendit loqui contra ponentes Deum non esse agentem per modum artificis et sapientis perfecti cognoscendo res extra distincte ante earum productionem, ideo ponit quod ad formationem distinctarum rerum precedit in Deo ars et exemplar proprium et distinctum cuiuslibet, quia ars infinita et illimitata equivalens virtualiter infinitis propriis quoad formaliter representare quodlibet distincte secundum proprias differentias ab omni alio, aliter non formaret res in esse proprio distincto.

Ad argumentum, in principio questionis patet ex dictis et cetera.

Sequitur secunda questio distinctionis 36.

Secundo, circa distinctionem trigesimam sextam, queritur utrum divino intellectui representetur aliquod per se intelligibile obiective significatum per veritatem affirmativam, quod non significetur per negationem contradictoriam. Quod sic, quia si omne intelligibile obiective significatum per affirmationem veram significetur per negationem contradictoriam, sequitur quod propositiones contradictorie magis conveniunt in signis et significatis quam propositiones omnino disparate. Consequens est falsum, quia non opponerentur quanto enim propositiones magis communicant in signis et significatis, tanto magis conveniunt simpliciter et per consequens minus opponuntur. Contra: sequitur quod huiusmodi affirmatio et negatio non contradicunt. Probo, quia aliquod obiective intelligibile affirmaretur per affirmativam quod non negaretur per negativam vel econtra.

Sciendum: non queritur hic de obiecto intelligibili quod est apprehensio complexa vel pars eius, supposito quod significet seipsam et cognoscatur formaliter per seipsam, sed queritur de intelligibili obiective significato per propositionem et apprenso per apprehensionem complexam distincto ab huiusmodi apprehensione vel non eodem illi.

Prima conclusio: nulla entitas incomplexa nominaliter absolute distincte significabilis actu vel potentia existens significatur per propositionem affirmativam, que non significetur per propositionem illi contradictoriam. Probatur per inductionem, quia nec substantie, nec accidens.

Item, ille propositiones non opponerentur contradictorie, quia contradictio est affirmatio et negatio unius et eiusdem de eodem et pro eodem.

Secunda conclusio: *a* esse *b* et *a* non esse *b* non sunt idem, nec possunt esse idem. Probatur, quia repugnantia est quod eidem simul convenient non minus quam repugnantia sit *a* esse album, et *a* esse nigrum. Item, possibile esset quodlibet ens esse idem cuilibet enti, non enim minus potest esse idem Socrates asino quam Socratem esse et Socratem non esse.

Item, terminus ad quem generationis vel creationis non est, nec potest esse idem termino, ad quem corruptionis, vel ad nihilationis faciens etiam *a* esse non facit idem quod faciens *a* non esse. Item, sequitur quod credens et iudicans *a* esse *b* [317a] et credens et iudicans *a* non esse *b* crederent et iudicarent idem. Consequens est falsum, tum quia vel neuter vel uterque fallitur, tum quia assensus eorum non essent contrarii, quia iudicarent idem, et assensus essent respectu omnino eiusdem.

Item, eodem modo volens *a* esse *b*, et volens *a* non esse *b* vellent idem quod est falsum, tum quia huiusmodi volitiones sunt contrarie, et se impediunt obiective, tum quia inimici qui secundum voluntates adversantur sibi non minus vellent idem quam amici, ut volens *a* esse sanum et volens *b* non esse sanum, sed egrum, quam volentes *a* esse sanum, tum quia velle *a* esse et nolle *a* non esse esset velle et nolle idem, sicut velle *a* esse et nolle *a* esse est velle, et nolle idem.

Tertia conclusio. Hec veritas affirmativa '*a* est' non significat *a* non esse, et consimiliter de ceteris. Probatur, quia esset falsa, quia significaret illud non esse quod est, immo implicaret contradictionem, quia simul significaret *a* esse, et non esse.

Item, hec consequentia esset necessaria: “*a* est, igitur *a* non est”. Probo, quia *a* non esse sequitur ex antecedente significante formaliter *a* non esse et quod *a* non est.

Item, apprehensio intellectualis et iudicium intellectuale correspondens non significat *a* non esse, quia affirmans mentaliter et credens et iudicans Deum esse per eundem actum affirmaret et iudicaret Deum non esse.

Item, aut significaret illud affirmative aut negative. Non secundum, quia est veritas pure affirmativa. Si primum, contra: tum quia videtur oppositio in adiecto, quod scilicet enuntiatio simplex pure affirmativa significet affirmative quod *a* non est, tum quia affirmans et assertive dicens Deum esse affirmaret et assereret Deum non esse, et quod Deus non est. Ex quo enim illa affirmativa significat affirmative Deum non esse, igitur affirmat Deum non esse, tum quia si affirmative significat Deum non esse, igitur eodem modo significat Deum esse et Deum non esse. Non enim alio modo significandi, quia non nisi illo modo quem formaliter continet, et quia non nisi affirmative significabit utrumque, et quia aliter quam negativa opposita. Si vero eodem modo significat Deum esse et Deum non esse, igitur implicat contradictionem.

Quarto conclusio: hec propositio ‘*a* non est’ non significat *a* esse, et proportionabiliter de similibus probatur, quia affirmativa non significat *a* non esse, igitur nec econtra.

Item, esset impossibilis et implicans contradictionem et inferret *a* esse, ut supra.

Item, hec propositio ‘chimera non est’ significaret chimeram esse, et ita esset falsa. Similiter, hec propositio ‘Deus non est malus’, significaret Deum esse malum, et ita esset falsa et credens conformiter haberet iudicium falsum.

Item, vel significat illud affirmative vel negative. Non primum, quia est pure negativa et quia simul affirmaret et negaret *a* esse. Si secundum, contra: quia eodem modo, scilicet negative significaret *a* esse et *a* non esse, non enim significat, nisi modo significandi quem habet formaliter, igitur sicut negat *a* esse, ita negat *a* non esse, et hoc est affirmare *a* esse, igitur affirmative significat *a* esse.

Ex dictis conclusionibus sequitur quod falsum est dicere quod hec propositio ‘*a* est’, et hec propositio ‘*a* non est’ significant penitus idem, sed alio modo, et ad hoc est articulus 4 in

posterioribus per cardinalem condemnatus, ubi dicitur sic “quod iste [317b] propositiones ‘Deus est’ et ‘Deus non est’ penitus idem significant, licet alio modo revoco tamquam falsum”. Et articulo 35 dicitur sic “quod contradictoria adinvicem idem significant revoco tamquam falsum”. Ad idem est Philosophus 4 Metaphysice, capitulo 6, dicens “non convenit significare homini esse id quod significat non esse homini”. Et infra, “non erunt esse et non esse idem nisi secundum equivocationem, ut si quem nos hominem vocamus alii non hominem vocant, dubitatum autem non est hoc, si autem non significat alterum homo et non homo, palam quia non est alterum non esse homini ab esse homini”.

Contra conclusionem: quidquid seu omne intelligibile quod significat affirmativa significat contradictoria ei negativa. Sed *a* esse significatur per istam affirmativam ‘*a* est’, igitur per istam negativam ‘*a* non est’ significatur *a* esse. Maior probatur. Primo, quia omnia signa que ponuntur in affirmativa ponuntur in negativa. Patet, inducendo: igitur quidquid significatur per affirmationem significatur per contradictoriam negativam. Probatio consequentie, quia propter additionem termini syncategorematici, ut negationis non cadunt priora signa a sua formali significatione. Confirmatur maior: quidquid significatur per partem signi complexi significatur per totum illud complexum, et quidquid formaliter significatur per signum contentum significatur per totum continens, sed affirmativa est pars negative et continet negativa affirmativam per modum partis. Probo, quia per solam additionem negationis ad complexum affirmativum fit propositio negativa, et quia subducta una parte propositionis negative, scilicet negatione residuum remanens est propositio affirmativa. Ex quo ultra arguitur: sicut signum ad signum, sic significatum ad significatum. Sed nullum est signum propositionis affirmative quod non sit signum propositionis negative, igitur nullum est significatum propositionis affirmative quod non sit significatum propositionis negative, igitur *a* esse est formaliter significatum per istam propositionem *a* non est.

Secundo principaliter, quod significative removetur per aliquod complexum significatur per illud complexum. Sed *a* esse removetur per illud complexum ‘*a* non est’, igitur maior patet, quia si removetur significative, igitur significatur remotioni, igitur significatur. Minor probatur, quia illa negativa non removet, nec tollit realiter *a* esse, quia propter nostrum affirmare vel negare nihil mutatur in re, igitur tollit et removet significative tantum.

Confirmatur: omnis propositio est signum illius cuius est negatio. Sed hec propositio ‘*a non est*’ est negatio huius quod est *a* esse, igitur est signum illius. Maior probatur, quia secundum Philosophum in Predicamentis, “negatio est oratio negativa”. Sed oratio est formaliter signum”. Patet etiam, quia propositio negativa significat negative illud quod negat. Minor probatur, quia illa negativa negat formaliter aliquod intelligibile. Non autem nisi *a* esse, quia non negat *a non esse*, quia poneret *a* esse. Patet, iterum quia *a* eo modo natum est negari per aliquod signum non autem magis quam per illam negativam. Patet iterum, quia privatio privat formaliter id quod habitus ponit formaliter, igitur pari ratione negatio negat formaliter illud intelligibile obie- [318a] -ctum quod affirmatio affirmat formaliter.

Tertio principaliter, propositio mentalis correspondens isti vocali ‘*a non est*’ significat formaliter et naturaliter *a* esse, igitur et hec vocalis significat illud idem. Consequentia patet, quia eadem eodem modo grammaticali et logicali significantur naturaliter per propositionem intellectualem que significantur ad placitum per vocalem ei correspondentem et subordinatam in significando. Antecedens probatur, quia negans et removens intellectualiter *a* esse intelligit *a* esse, non enim potest anima actualiter et formaliter negare illud quod non habet obiective in prospectu, quod autem intellectus intelligit significatur per apprehensionem intellectus, immo intellectus per apprehensionem non apprehendit, nisi ea que representantur et exhibentur obiective per illam. Confirmatur: negans et significative removens aliquam identitatem vel unitatem vel compositionem intelligit illam, sed intellectualiter dicens *a non esse album* negat identitatem ipsius *a* ad album. Dices: intellectus negans *a* esse apprehendit *a* esse, quia intellectus formans negativam prius naturaliter format affirmativam, ut conceptus non albi exigit et presupponit conceptum albi. Contra: per illam apprehensionem significatur et apprehenditur formaliter *a* esse qua sola existente in mente per potentiam Dei absolutam intellectus apprehendit *a* esse. Sed hac propositione negativa mentali *a non est* existente precise et sola in intellectu, adhuc intellectus apprehendit *a* esse probatur, quia ut prius intellectus negans formaliter aliquod intelligibile intelligit illud.

Item, assumptum in responsione non videtur universaliter verum. Probo: propositio vera necessaria et evidens non presupponit in intellectu propositionem falsam et impossibilem ex eisdem terminis. Sed aliqua propositio negativa est huiusmodi, ut album non est nigrum. Confirmatur: conceptus incomplexi existentes in mente formati ex aliquibus rebus prius

naturaliter inclinant ad formandum ex illis propositionem veram et evidentem significantem rem sic se habere, sicut se habet quam propositionem falsam significantem illas res aliter se habere quam se habent, igitur non universaliter negativa propositio mentalis presupponit affirmativam ex eisdem terminis.

Quarto principaliter propositionum convertibilium et in significato equivalentium, si una significat *a* esse et altera, sic est de istis *a* non est et *a* esse non est verum et secunda significat *a* esse, quia eius subiectum significat illud, igitur.

Quinto, quidquid significatur per terminum incomplexum affirmativum significatur per signum compositum et ex illo et negatione, igitur quidquid significatur per complexum affirmativum significatur per compositum ex ipso et negatione. Consequentia patet ex simili ratione et proportione. Antecedens probatur, quidquid enim significatur per hunc terminum ‘homo’ et per conceptum ei correspondentem significatur per hunc terminum ‘non homo’ et per conceptum ei correspondentem, quia quidquid concipitur esse non homo concipitur per illum conceptum in habitudine ad hominem.

Sexto, non significatur, nec concipitur privatio quin significetur et concipiatur habitus et terminus privationis significat illud quod terminus habitus significat, igitur pari ratione in proposito, quia privatio est quidem modus negationis. Antecedens probatur: impossibile est enim intelligere cecitatem qui intelligatur visus, nec quies potest intelligi, nisi intelligendo motum et sic de aliis.

Ad ista eque, immo magis videntur contra opinionem ponentem per complexum affirmativum significari aliquod intelligibile complexe conceptibile distinctum ab omni entitate incomplexo significabili, sed negando huiusmodi intelligibile. Ad primum, qualiter maior sit concedenda et qualiter neganda videbitur infra, tamen quoad presens potest concedi in isto sensu quod nullum obiectum intelligibile terminative significatur per affirmativam, quin significetur per negativam, et potest dici quod discursus non valet. Sed est figura dictionis et mutatur obiectum concipi et significari in taliter significari et concipi, quia *a* esse significare per hanc affirmationem *a* est vel per aliam propositionem non est precise quoddam obiectum intelligibile significari per illam, sed ipsum taliter significari, scilicet enuntiando affirmative esse de illo vel potest dici quod minor, scilicet *a* esse significatur per istam affirmationem *a* est habet duplicem



sensum. Unus est quod *a* vel esse vel ens taliter significatur per illud signum, scilicet enuntiando complexe affirmative esse de *a* et sic significatur *a* et esse vel ens tamquam bonum, et idem quod ad veritatem illius signi requireretur et sufficeret, quod *a* esset ens et sic est vera, et in eodem sensu falsum est quod *a* esse significetur per istam negativam *a* non est, et sic est figura dictionis in argumento. Alius sensus est iste: aliquod intelligibile quod est *a* esse significatur per hanc affirmationem *a* est, seu aliquod intelligibile significatur per hanc et ipsum est *a* esse. Et hic sensus est falsus, si *a* non sit ens, et est verus si *a* existat, et consequenter conceditur quod *a* esse significatur per hanc negativam *a* non est, quia per illam significatur quodlibet intelligibile puta *a* et ipsum est *a* esse. Sed ex hoc non sequitur quod illa negativa significet *a* esse, quia hoc importaret plus, iuxta primum sensum propositio autem illa minor improprie sumitur in isto secundo sensu, quia quod *a* existat videtur solum materialiter et per accidens pertinere ad veritatem istius *a* esse significatur per hanc affirmationem *a* est.

Ad confirmationem, per idem.

Ad secundum, aliquid significative removeri per aliquam propositionem negativam potest dupliciter intelligi. Uno modo, quod ipsum tamquam predicatum et extremum propositionis sequens negationem, et sumptum seu supponens significative et personaliter negatur de aliquo subiecto, et sic negatur maior. Sic etiam minor esset falsa, sumpto subiecto personaliter. Alio modo, illud intelligibile est significatum per aliquam propositionem quod taliter se habet ad illam quod illa significat illud intelligibile non esse et eius veritas exigeret illud intelligibile non esse, et sic conceditur maior, nec inde plus sequitur nisi quod intelligibile quod est vel potest esse *a* esse significatur per illam negativam et hoc conceditur, nec ex hoc sequitur quod illa negativa significet *a* esse, sed quod significat *a* quod est vel potest esse *a* existens. Ad confirmationem propositionem esse negationem alicuius potest intelligi dupliciter vel negationem illius tamquam predicati, quod negatur de aliquo per modum subiecti, et sic negatur maior. Alio modo, negationem illius tamquam obiecti intelligibilis taliter significati per enuntiationem negativam, et sic conceditur maior, quia equivalet isti omnis propositio est signum [319a] similis obiecti cuius est signum negativum, et consequenter conceditur minor, scilicet quod hec propositio '*a* non est' sit negatio huius obiecti, quod est vel potest esse *a* esse supposito quod *a* sit vel possit esse et consequenter conceditur conclusio quod huiusmodi propositio negativa est signum illius obiecti quod est vel potest esse *a* esse, sed ultra non

sequitur, igitur formaliter significat *a* esse, sicut non sequitur hic terminus ‘Socrates’ significat illud obiectum quod est album et sanum et currens et plenum iniquitate et quod fuit album etc., igitur formaliter significat album et cursum et fuisse huiusmodi, quia alio tempore formaliter significaret non album sed nigrum etc. Si autem minor intelligatur quod hec propositio ‘*a* non est’ neget *a* esse, quia significat *a* non esse, conceditur et non valet discursus.

Ad tertium negatur antecedens. Ad probationem, falsum est quod omnis intellectualiter negans *a* esse intelligit *a* esse, sed intelligit *a* non esse, nec ex hoc sequitur quod ipse neget significative aliquod obiectum intelligibile extra quod ipse non intelligat, sed quod ipse non taliter intelligat qualiter intelligitur per enuntiationem affirmativam. Ad confirmationem, si maior intelligitur quod intellectus negans predicatum identitatis de aliquo subiecto habet conceptum correspondentem termino identitatis, conceditur et non est ad propositum. Minor enim est falsa, si vero maior intelligatur quod intellectus sic negative enuntians et apprehendens, quod ad veritatem sue apprehensionis requireretur et sufficeret quod huiusmodi intelligibilis ad illud intelligibile non sit identitas, intelligit formaliter identitatem huius intelligibilis ad illud intelligibile, negatur maior. Sive intelligatur quod habeat formalem conceptum identitatis apprehendendo et significando formaliter quod hoc intelligibile est idem illi, sive intelligatur quod obiectum terminans suam apprehensionem sit identitas huius intelligibilis ad illud, conceditur tamen quod sic negans identitatem habet virtualiter apprehensionem qua significaret formaliter identitatem, quia habens negativam potest formare affirmativam, et iudicare eam falsam. Ad quartum accipiendo proprie significare *a* esse et quod *a* sit pro signo sic affirmante, et enuntiante esse de *a* quod ad eius veritatem requireretur et sufficeret quod *a* esset, negatur minor. Per illam enim secundam non sic significatur *a* esse per subiectum etiam illius non sic significatur *a* esse. Si autem intelligitur quod per illam secundam significatur obiectum quod est vel esse potest *a* esse, et sic conceditur et consequenter idem obiectum significatur per primam negativam. Si autem intelligitur quod per secundam significatur *a* esse, id est significatur *a* taliter per illam quod in ea includitur hoc dictum *a* esse, conceditur et tunc non oportet quod ita significetur per aliam convertibilem.

Item, ille propositiones non videntur omnino equipollere in significato, quia circumscripto opere intellectus, sic esset in re sicut per primam natum est significari, et sicut eius veritati preexigeretur et sufficeret, non autem sic de alia sumendo verum pro veritate

propositionis, si autem sumatur verum pro ente vero tunc dicere *a* esse non est verum equivalent huic '*a* esse non est ens'.

Ad quintum, iuxta distinctionem inferius ponendam potest concedi consequens, scilicet quod omne obiectum per se intelligibile terminative quod significatur per affirmationem significatur per negativam, sed ulterius non sequitur quod illa negativa significet *a* esse, ut supra dictum est.

Dices: numquid est concedendum quod hec negati- **[319b]** -va '*a* non est' significat *a* esse, sicut conceditur quod 'non homo' significat homines, potest dici quod non, quia dicendo secundum, videtur solum denominari quid obiective significetur, sed in primo denominatur, non solum quod obiectum, sed etiam qualiter et determinatur qualitas significandi, quia enuntiando esse de *a* et quia significatio illius complexi negativi sortitur veritatem vel falsitatem ex eo quod significat aliquid esse vel non esse, ideo dicendo quod illa negativa significat *a* esse, importatur quod eius veritas exigit quod *a* sit et quod si vera est verificatur pro *a* existente.

Ad sextum, non sequitur quod negativa significet rem esse huiusmodi cuiusmodi ipsam esse significat affirmativa, sed solum quod non habetur apprehensio complexa negativa de aliquo per se intelligibili obiective terminative, quin concipiatur illud obiectum intelligibile quod est per se et proprie obiectum terminans apprehensionem affirmativam oppositam, nec ex hoc sequitur quod negativa significet *a* esse, ad hoc videtur Aristoteles secundo Elenchorum ultra medium dicens: "10 intelliguntur in 10 uno minus, et facere in non facerere, et omnino in negatione dictio, id est affirmatio". Si tamen quis dicat, id est significet hoc non esse album non dicit, id est non significat idem esse album.

Quinta conclusio: inquirenda an aliquod intelligibile obiective significetur per affirmationem, et apprehendatur per apprehensionem complexam affirmativam, quod non significetur per negativam contradictoriam. Et arguitur primo quod non, quia in terminis singularibus iste non essent contradictorie '*a* est', '*a* non est'. Probo, quia affirmationi significative ponenti seu significanti poni quoddam intelligibile non contradicit propositio, que non tollit significative seu que non significat tolli illud intelligibile, sic autem esset si intelligibile significatum complexe per affirmationem, non significatur per negationem.

Preterea, si aliquod obiective intelligibile significatur per illam ‘*a* est’, quod non significatur per istam ‘*a* non est’, aut igitur illud intelligibile est *a*, et patet quod non, quia *a* significatur per subiectum secunde, aut illud intelligibile est *a*, et hoc non, quia *e* esse est *a* ut in superioribus probatum est.

Preterea, si aliquod intelligibile significatur per istam ‘*a* est ens’ quod non significetur per illam ‘*a* non est ens’, aut igitur illud intelligibile est ens aut non ens. Si primum, igitur significatur per ultimum terminum sue propositionis. Si secundum, igitur significatur per secundam, quia non esse significat non ens, eodem modo arguitur de istis ‘*a* est possibile’, ‘*a* non est possibile’, aut enim illud intelligibile esset possibile, aut non possibile etc.

Preterea, in quibusdam contradictionibus ita est, igitur pari ratione in aliis, quia rationes in oppositum eque videntur valere de omnibus. Antecedens probatur de istis contradictionibus: ‘omne intelligibile est intelligibile, aliquod intelligibile non est intelligibile’, vel ‘nullum intelligibile est intelligibile, aliquod intelligibile est intelligibile’.

Preterea, aut illud intelligibile est obiectum mere incomplexo nominaliter absolute conceptibile, aut non, sed tantum complexe. Si primum, contra: per primam conclusionem. Si secundum, adhuc illud significabitur per negativam contradictoriam, ut probant rationes facte contra quartam conclusionem que [320a] quamvis non valeant contra illam conclusionem, videntur tamen facere pro ista conclusione, ex quo ultra arguitur contra opinionem ponentem per affirmationem huiusmodi significari intelligibile complexe, quod non significatur per extrema eius vel signa incomplexa, et quod opponitur contradictorie cuidam intelligibili significato complexe per negativam contradictoriam, quia tunc quelibet negativa esset falsa, et includens repugnantiam, quia formaliter significaret contradictorie opposita, scilicet *a* esse et *a* non esse, quia significare *a* esse erit significare illud intelligibile significabile complexe. Confirmatur: hec affirmativa est falsa ‘*a* est *b*’, igitur hec negativa ‘*a* non est *b*’. Probatio consequentie, quia affirmativa est falsa ex eo quod significat *a* esse *b*, sed secunda significabit *a* esse *b*, quia significabit illud intelligibile. Dices, negativa non est falsa nec includens repugnantiam, licet significet illud intelligibile complexe significatum per affirmationem, quia negativa significat illud intelligibile aliter quam significetur per affirmationem, quia affirmativa significat illud affirmative, sed per negativam significatur negative. Contra, sequitur primo quod idem intelligibile complexe significatur affirmative et negative, et modis enuntiandi

contradictorie oppositis, igitur propter oppositionem affirmationis et negationis non oportet correspondere distincta et opposita obiecta intelligibilia, quorum unum significetur per affirmationem, non per negationem, et alterum econtra.

Item, sequitur quod respectu omnino eiusdem obiective intelligibilis propter alietatem significandi unum signum est verum, et alterum falsum. Consequens est contra alios.

Item, contra responsionem et contra predictam opinionem, sequitur quod hec negativa '*a non est*' significabit formaliter *a* esse, sicut significat *a non esse*. Consequens est falsum, quia non minus inferret, nec minus exigeret eius veritas *a* esse quam *a non esse*. Consequentia probatur, quia secundum responsionem illa negativa significat negative *a* esse, sed eodem modo, scilicet negative significat illud intelligibile quod dicis *a non esse*. Probo: tum quia non significat illud affirmative, cum non sit propositio affirmativa, sed simplex negativa pure, sicut enim simplex affirmativa non significat negative, ita simplex negativa non significat affirmative, tum quia negativa significabit utrumque intelligibile illo modo significandi quem formaliter continet, ille autem est unus et idem.

Sexta conclusio: inquirenda, an econtra aliquod obiective intelligibile significetur et apprehendatur per negativam quod non per affirmationem oppositam, et in toto isto processu loquor de intelligibili significato, quod non est ipsa propositio, nec pars eius, et arguitur primo quod non, quia sequeretur quod Deus videret Deum verum nihil esse, et videret seipsum esse insipientem et peccatorem ita clare, sicut videt seipsum esse. Probo, quia Deum nihil esse vel esse insipientem esset quoddam obiectum intelligibile terminative, quod nec est Deus, nec Deum esse, sit illud *b*, tunc Deus intelligit *b* obiectum intelligibile et non abstractive, quia hoc est cognoscere modo imperfecto, igitur intuitive et clare.

Dices: hoc argumentum eque reducitur contra omnes. Respondeo quod non, quia Deum intelligere se esse insipientem non est Deum videre aliquod obiectum intelligibile quod sit Deum esse insipientem, sed est Deum videre se et sapientiam et intelligere secundum negationem huius ab illo cum dissensu.

Item, proprie et stricte loquendo non habes concedere quod Deus intelligit se nihil esse, quia hoc importare videtur quod habet apprehensionem cum ius veritas exigit Deum non esse,

et quod sic neget esse de Deo, sed alii habent concedere quod per se et proprie intelligit Deum non esse, quia hoc est obiectum terminative intelligibile distinctum ab omni intelligibili obiective per affirmationem vel signa incomplexa signifi- **[320b]** -bili.

Preterea, sit *a* intelligibile significatum complexe per istam ‘Socrates est Plato’, et sit *b* intelligibile significatum complexe per istam ‘Socrates non est Plato’, tunc sic: tam *a* quam *b* includunt tam Socratem, quam Platonem aut igitur precise, et propositum; aut non precise, sed preter ista et ultra ista, et tempus consignificatum addunt aliquod alterum intelligibile quod sit *c*. Tunc *c* totaliter distinguitur a Socrate et Platone, quia additur preter et ultra. Sed contra, quia *c* non esset obiectum intelligibile significabile mere incomplexe, nec tantum complexe, quia significabile complexe includit tam Socratem, quam Platonem. Confirmatur: non adderet illud nisi ratione negationis, sed hoc est falsum, quia terminus syncathegoreumaticus non addit proprium intelligibile ultra intelligibilia significata per terminos cathegoreumaticos.

Preterea, non est ponenda pluralitas obiectorum intelligibilium sine necessitate, sed non est necesse ponere huiusmodi pluralitatem propter affirmationem et negationem contradictorie oppositam. Probo, quia omnino et precise idem intelligibile vel eadem intelligibilia possunt accipi affirmative et negative. Probo primo, quia respectu omnino et precise eiusdem obiective intelligibilis potest intellectus habere iudicia opposita, igitur et modos enuntiandi oppositos. Antecedens patet de assensu quo assentitur *a* esse, et dissensu quo dissentitur *a* esse. Secundo, quia voluntas potest omnino eiusdem obiective volibilis habere actus oppositos ut velle, nolle respectu huius quod est *a* esse, igitur et intellectus.

Tertio, patet dicendo: intelligibile non est intelligibile, significabile non significabile. Nullum enim intelligibile significatur per huiusmodi terminum negatum, quod non significetur per affirmatum. Probo: sit illud *b*, tunc sequitur quod terminis personaliter sumptis hec esset vera ‘non intelligibile est intelligibile’, vel ‘non intelligibile intelligitur’. Patet, quia verificarentur pro *b* intelligibile. Dicendum igitur quod ideo ille sunt false, quia nullum intelligibile correspondet subiecto, pro quo subiectum posset supponere verificando propositionem, et subiectum pro nullo significato potest supponere respectu talis predicati, quia predicatum significat omne intelligibile significatum per subiectum, et natum est pro illo supponere.

Preterea, in quibusdam contradictionibus ita est, igitur in omnibus. Antecedens patet in istis ‘omne intelligibile est intelligibile’, ‘aliquod intelligibile non est intelligibile’ etc., ut supra.

Preterea, illud poneretur quia nisi ita esset, videretur sequi quod *a* esse et *a* non esse essent idem, et quod contradictoria significarent omnino et precise idem, et quod *a* non esse significaretur per istam ‘*a* est’, et quod hec negativa ‘*a* non est’ significaret *a* esse, sed hoc non sequitur. Probo, quia constat quod nullum intelligibile significatur per istam ‘intelligibile significabile est intelligibile significabile’, quod non significetur per eius contradictoriam et econtra. Et tamen non sequitur quod intelligibile esse intelligibile sit intelligibile non esse intelligibile, nec econtra. Nec sequitur quod prima significet intelligibile non esse intelligibile, nec econtra.

Preterea, veritas vel falsitas propositionis attenditur et mensuratur penes intelligibile significatum complexe per illam propositionem. Sed veritas unius partis contradictionis et falsitas alterius partis penes omnino idem intelligibile significabile complexe attenduntur et mensurantur sufficien- **[321a]** -ter, igitur omnino idem intelligibile complexe significabile importatur per utramque. Prima pars antecedentis patet, quia ab eo quod res est vel non est dicitur oratio vera vel falsa. Et nono Metaphysice, “propter te esse album, nos hoc dicentes verum dicimus”. Secunda pars probatur, quia ex eo precise quod in re extra Petrus est albus, hec propositio est vera ‘Petrus est albus’ et hec est falsa ‘Petrus non est albus’. Propositio enim negativa est falsa ex difformitate ipsius ad illud ad quod veritas opposita habet conformitatem et adaequationem. Confirmatur: sit *a* intelligibile complexe significatum per istam ‘Petrus est albus’, et sit *b* significatum intelligibile complexe per negativam oppositam, tunc cum affirmativa sit vera ex conformitate ipsius ad *a* intelligibile. Aut igitur negativa est falsa ex difformitate ad idem *a* intelligibile, tamquam signi ad significatum, et habetur propositum, aut ex conformitate ipsius ad *a* intelligibile, et hoc non, quia esset vera. Aut ex conformitate ipsius ad alterum intelligibile significatum per eam, puta ad *b*, et hoc non, quia esset vera, cum veritas sit conformitas huius, vel sequatur huiusmodi conformitatem. Aut est falsa ex difformitate ad *b* intelligibile, et hoc non, quia si habet difformitatem ad *b* intelligibile, igitur habet conformitatem ad *a* intelligibile oppositum contradictorie, igitur est vera. Et ultra, si negativa habet difformitatem ad *b*, igitur affirmativa contradictoria habet conformitatem ad *b* intelligibile, igitur hec affirmativa ‘Petrus est homo’ est vera ex conformitate ipsius ad Petrum non esse hominem,

igitur ex eo quod Petrus non est homo, et loquor de conformitate signi ad signatum que est veritas propositionis, vel que est ratio veritatis, vel in qua consistit veritas propositionis, et de deformitate opposita.

Preterea, sequitur quod iste non contradicunt in terminis singularibus  $a$  et  $a$  non est. Probo quia aliquod intelligibile negatur vel affirmatur seu ponitur vel tollitur significative per secundam, quod non per primam, quia non significatur per illam. Ille autem propositiones non contradicunt, quarum una significative ponit vel removet quoddam intelligibile, quod altera nec ponit, nec removet, nec significat.

Preterea, sequitur quod negatio affirmationis et negatio illius negationis non contradicerent. Consequens est falsum, quia negatio negationis opponitur alicui contradictioni, non autem affirmationi, quia illi equipollet, igitur negationi. Consequentia probatur, quia negare unum intelligibile et negare quoddam alterum intelligibile non contradicunt, sed negatio affirmationis esset negatio cuiusdam intelligibilis, scilicet significati complexe per affirmationem. Sed negatio negationis esset negatio cuiusdam alterius intelligibilis, scilicet significati complexe per negativam et illa secundum te sunt distincta intelligibilia, immo in nullo eodem convenientia et communicantia.

Preterea, sequitur quod negatio negationis non equipolleret affirmationi, nec significaret idem intelligibile significabile complexe. Probo consequentiam primo, quia negare et remove quoddam intelligibile et affirmare seu ponere quoddam alterum intelligibile non sunt idem secundo, quia si additio negationis est additio nova cuiusdam intelligibilis, igitur duplex appositio negationis erit appositio duplicis intelligibilis vel repetitio et reiteratio cuius- **[321b]** -dam intelligibilis, et quocumque dato, habetur propositum.

Tertio, sit  $a$  intelligibile significatum complexe per affirmationem et  $b$  sit intelligibile significatum complexe oppositam negationem, et  $c$  intelligibile significatum per negationem illius negationis. Probo quod  $c$  est alterum intelligibile ab  $a$ , quia  $a$  est intelligibile absolutum non relativum ad  $b$  intelligibile. Et potest  $a$  intelligi absque hoc quod intelligatur  $b$ , sed  $c$  est intelligibile relativum ad  $b$ . Nec potest intelligi, nisi in respectum ad  $b$ , quia impossibile est negare intellectualiter  $b$  intelligibile, et significative remove  $b$ , quin intelligatur  $b$  et remotio ipsius  $b$  dicit respectum ad  $b$ , sic igitur  $c$  est alterum intelligibile ab  $a$ . Ex quo ulterius sequitur



quod idem intelligibile opponitur contradictorie eque primo duobus intelligibilibus, quia *b* opponitur contradictorie ipsi *a* et ipsi *c*, et est quasi medium inter illa. Ex quo ulterius sequitur actualis infinitas intelligibilium ex natura rei distinctorum circa quodlibet, quia pari ratione negatio illius secunde negationis significabit alterum intelligibile significabile complexe, et quodlibet talium opponetur ipsi *b*.

Preterea, sequitur quod Deus non posset anihilare angelum vel hominem, nisi produceret aliquod novum positivum. Probo: Petro anihilato cessat et desinit intelligibile significatum complexe per ista 'Petrus vivit', quod sit *a*. Aut igitur *a* intelligibile sic cessat et desinit, quod tunc precise est cessatio et desitio prioris intelligibilis, puta *a* nec est novitas vel inceptio alicuius alterius intelligibilis obiecti, aut extra animam non est cessatio et desitio prioris intelligibilis. Sed etiam est novitas et inceptio cuiusdam alterius intelligibilis obiective, puta *b*, quod scilicet significatur complexe per istam 'Petrus non vivit'. Si primum, habetur propositum quod Petrum non vivere non sit aliquod obiectum intelligibile distinctum a priori intelligibili significato per affirmativam, quia cum noviter sit verum Petrum non vivere, poneretur noviter illud intelligibile per quod verificatur. Si secundum, igitur *b* obiectum intelligibile prius non erat nisi in potentia, et modo est in actu, igitur est noviter productum. Non enim est sola desitio prioris intelligibilis, sed inchoatio cuiusdam alterius obiecti, et ibi est transitus a depositione cuiusdam alterius obiecti intelligibilis ad novitatem alterius intelligibilis, igitur Deus non anihilat nisi noviter producendo. Dices: ibi non est productio, quia *b* non est aliqua realitas positiva, sed intelligibile quasi privativum, sicut recedente habitu dicitur noviter advenire privatio. Contra: sequitur quod *b* intelligibile sit obiectum impossibile et figmentum, et cum *b* sit Petrum non vivere, sequitur quod Petrum non vivere sit impossibile, et ita Deus non posset destruere Petrum. Consequentia probatur, quia intelligibile quod omnino nihil est nec potest non esse omnino nihil, nec potest exire ab omnimoda nihilitate est impossibile et figmentum non minus quam chymera. Confirmatur: *b* intelligibile non transit de potentia ad actum, igitur non magis est modo verum Petrum non vivere quam prius. Probo primo, quia vel transiret de potentia essendi ad actum essendi, et ita esset nunc ens in actu, et habetur propositum. Aut transit de potentia non essendi ad actum non essendi, igitur prius erat actu ens, et modo sit non ens. Secundo, quia vel transit ad actum essendi positive, et habetur propositum principale. Aut [322a] ad actum essendi privativum, et hoc non, quia tale esse habebat prius non minus quam nunc. Probo, tum quia si habebat privationem et negationem talis modi privativi, igitur habebat esse positivum, tum quia

esse in potentia est esse privativum, tum quia prius non habebat minus esse quam *a*, scilicet Petrum vivere habeat nunc esse post anihilationem Petri. Sed Petrum vivere habet nunc esse privativum et negativum, igitur et *b* intelligibile prius habebat esse privativum. Preterea, sequitur quod huiusmodi intelligibilia complexe significabilia per propositiones contradictorias essent intelligibilia sibi invicem contradictorie opposita, immo magis per se et primo quam propositiones significantes illa. Sed consequens est falsum, ut infra probabitur in quoddam dubio de hoc specialiter.

In oppositum utriusque conclusionis arguitur. Primo: si omne obiectum intelligibile significatum per affirmationem significatur per negativam contradictoriam et econtra, sequitur quod propositiones contradictorie significant omnino et precise eadem. Consequens est falsum, ut patet supra per correlarium quarte conclusionis, et per articulos ibi adductos. Probatur iterum, quia tunc iudicans vel volens *a* esse album, et iudicans et volens *a* non esse album iudicarent et vellent omnino idem, et diligerent et eligerent idem, quod est falsum, quia quod unus tollit mediante velle suo alter ponit et econtra. Probatur iterum quia velle *a* esse, et nolle *a* non esse, et assentire *a* esse, et dissentire *a* non esse essent contraria et repugnantia, quia respectu eiusdem. Consequentia principalis probatur, quia ille propositiones significant precise eadem, quarum una significat quidquid alia, et econtra nec una significat aliquod intelligibile, quin alia et econtra. Confirmatur, quia hec propositio ‘Deus est Dominus creature’ non significabit aliquod intelligibile, nisi aggregatum ex Deo et creatura, et similiter negativa significabit utrumque et precise. Sed hoc aggregatum est idem huic aggregato, igitur significant precise idem vel eadem, et totale significatum huius est idem totali significato illius. Confirmatur consequentia, cum enim iudico et volo *a* esse album, et Petrus vult et iudicat *a* non esse album, aut est precise differentia et alietas in modo intelligendi et volendi, aut in obiective cognito et volito. Si secundum, propositum. Si primum, igitur significatur omnino idem per contradictoria, sed alio et alio modo, quod est contra articulum. Et quia non solum tunc aliter et aliter volumus et cognoscimus. Sed etiam volumus et iudicamus a se habere aliter et aliter extra animam, puta quomodo se haberet in termino dealbationis, vel non se haberet. Patet, igitur principalis consequentia ex quo ultra sequitur quod *a* esse et *a* non esse sunt idem, quia si affirmativa et negativa significant precise et adequate idem intelligibile extra, cum affirmativa non significet nisi precise *a* esse, et negativa precise significet *a* non esse, igitur *a* esse et *a* non esse sunt idem. Et quia totale et completum et adequatum significatum huius erit idem totali et adequato

significato illius, et quia si quidquid significatur per hanc significatur per illam, et econtra sequitur quod omne intelligibile significatum per hanc est idem alicui intelligibili significato per illam, igitur *a* non esse quod significatur per negativam est idem alicui intelligibili significato per affirmativam, igitur huic quod est *a* esse, quia affirmativa non significat nisi *a* esse, et quia aut *a* esse et *a* non esse sunt unum et idem [322b] intelligibile et propositum, aut distincta intelligibilia obiective, et non sunt intelligibilia totaliter diversa in nullo intelligibili communicantia, nec differunt per aliquam entitatem incomplexae significabilem, igitur principale propositum. Secundo, principaliter sic: *a* esse est intelligibile significatum per affirmativam *a* esse non est intelligibile significatum per negativam, ergo aliquod intelligibile non significatum per negativam significatur per affirmativam. Minor patet, quia negativa significaret *a* esse et *a* non esse. Econtra arguitur de hoc intelligibili *a* non esse, quia est intelligibile significatum per negativam non per affirmativam.

Tertio, sequeretur quod utraque pars contradictionis est vera vel utraque falsa. Probatio consequentie. Primo, signorum complexorum omnino et precise idem tam complexe quam incomplexae significantium si unum est verum ratione significati et propter significatum et reliquum, ut declaratur in superioribus. Secundo, quia propositionum omnino idem significantium una infert aliam sumptis propositionibus personaliter et significative. Consequentia enim non videtur impediri, nisi quia consequens importat aliquid quod non importat antecedens, vel econtra. Tertio, illa propositio est vera cuius totale et adequatum significatum ponitur in re, sic erit. Ex quo enim eadem precise significantur per utramque, si ita est in re sicut una significat, ita erit in re sicut alia significat, et si una significat rem se habere ut se habet et altera, ex quo quidquid significat una et alia significat, et econtra. Rem enim sic se habere aut significabitur per utramque, aut per neutram. Quarto, cum dicis quod ita est in re sicut affirmativa vera significat, et non est ita in re sicut negativa falsa significat. Aut ille modus quem ponis ex una parte, et tollis ex alia parte se tenet ex parte rei extra et habetur propositum. Aut ex parte signi tantum, et hoc non, quia modus significandi affirmative, que est vera non magis est extra animam quam modus significandi negative. que est falsa. Talis enim modus significandi est ipsa propositio, vel est formaliter in propositione. Cum igitur dicitur quod ita est in re extra sicut significatur per istam, et non ita est in re sicut significatur per illam, non intelligitur de modo significandi. Sed de modo essendi. Aliquis enim modus essendi ponitur in re extra, qui significatur per affirmativam, non per negativam, et aliquis modus essendi

significatur per negativam, non per affirmativam. Ex his ultra potest argui quod non contingit decipi. Probo: Plato quem dicis decipi iudicet *a* non esse tale, et Socrates non deceptus iudicet *a* esse tale. Tunc sic: Plato iudicat rem esse talem, qualis est et *a* esse tale. Probo, quia iudicat idem obiective cum Socrate et omne iudicatum obiective a Socrate est iudicatum obiective a Platone, sed *a* esse tale iudicatur a Socrate, igitur et a Platone.

Quarto principaliter, omnis propositio vera est vera ab eo, et ex eo quod significat. Sed negativa vera non est vera ex eo quod affirmativa opposita falsa significat, igitur negativa vera significat aliquid quod affirmativa opposita falsa non significat. Maior patet, quia veritas est conformitas signi ad signatum. Minor probatur, quia hec propositio ‘Homo non est asinus’ esset vera ex eo quod homo esset asinus.

Confirmatur: sit hec affirmativa modo vera *a* est tale et postea eius negativa contradictoria sit vera, tunc sic affirmativa non est modo vera ex omni- [323a] -no eodem significato, ex quo negativa erit postea vera, igitur ex alio et alio. Non autem ex alio intelligibili mere incomplexo demonstrabili, igitur complexe. Antecedens probatur primo, quia si hec affirmativa est primo vera, et postea negativa vera ex omnino eodem significato cum quolibet vera sit vera ex suo significato, sequitur quod affirmativa et negativa significant omnino idem, et cum affirmativa sit vera ex eo quod *a* est tale, et negativa fiat vera ex eo quod *a* non est tale, sequitur quod *a* esse tale et non esse tale sunt idem. Secundo, quia affirmativa est vera ex identitate et unitate vel ex compositione et unione. Negativa autem ex non identitate et divisione. Unde Aristoteles sexto Metaphysice capitulo ultimo, “verum quidem affirmationem habet in composito, negationem autem in distincto”. Et nono Metaphysice capitulo ultimo, “verum et falsum est in rebus componi et dividi”. Sequitur esse quidem est compositioni, et unum esse, et non esse non componi. Sed plura esse.

Quinto principaliter, negatio addita signo incomplexo apponit novum et distinctum significabile, igitur et negatio addita signo complexo, vel sic. Signum incomplexum negativum significat aliquod intelligibile, quod non significatur per idem signum incomplexum non negatum, igitur. Similiter de signo complexo. Antecedens probatur, quia non homo significat alia ab homine, quia in propositione vera stat, et supponit pro alio ab homine. Similiter, non gradus significat aliquod intelligibile distinctum ab intelligibili significato per gradum, quia non

gradus caloris est extremum a quo incipit caloris generatio vel ad quem terminatur corruptio caloris.

Sexto, nullum intelligibile significatum per istam *a* est opponitur contradictorie alicui intelligibili significato per istam ‘eandem *a* est’, alioquin includeret opposita, sed aliquod intelligibile significatum per istam negativam *a* non est, opponitur contradictorie alicui intelligibili significato per istam affirmativam *a* est, igitur aliquod intelligibile significatum per negativam non significatur per affirmativam. Minor probatur per Philosophum In Predicamentis, sicut affirmatio adversus negationem opposita est, ita illud quod subiacet affirmationi opponitur ei quod subiacet negationi, ut sicut Socrates sedet et Socrates non sedet opponuntur, ita Socratem sedere, et Socratem non sedere. Et ut ibidem dicitur id quod subiacet affirmationi non est affirmatio, et quod subiacet negationi, non est negatio. Confirmatur, aut affirmativa et negativa opponuntur secundum idem quod sunt realiter et secundum suas entitates naturales, et propter se, aut secundum signa, et pro significatis. Si secundum, propositum. Si primum, contra: tum quia in hoc plus conveniunt, et communicant quam propositiones disparate, vel quam albedo et nigredo, tum quia simul stant in anima, tum quia eadem apprehensio potest significative exhiberi *a* esse, et *a* non esse. Patet de apprehensione divina, vel etiam de apprehensione nostra comparativa esse ad non esse.

Respondeo: sine assertionem et sine preiudicio alterius sententiae melioris, et per modum probabilis collationis potest dici quod omne intelligibile significatum per unam partem contradictionis significari per aliam, et econtra potest intelligi dupliciter, vel quoad veridicam exigentiam, et il- **[323b]** -lationem, vel quoad propriam et per se obiectivam terminationem. Si primo modo, tunc sensus est de omni intelligibili quod esse vel huiusmodi esse requiritur et sufficit ad veritatem unius partis ipsum esse, vel huiusmodi esse requiritur et sufficit ad veritatem alterius partis, et pro omni intelligibili posito, vel sic se habente nata est verificari una pars, et alia et pro quocumque intelligibili non posito, vel non sic posito seu non sic se habente, verificatur una pars et alia, et de falsitate correspondente, et sic falsum est quod omne intelligibile significatum per unam partem contradictionis significetur per aliam vel econtra. Et in eodem sensu falsum est quod omne intelligibile significatum per hanc orationem ‘Petrus ens album’ significetur per hanc orationem ‘Petrus non ens album’. Una enim nata est stare pro aliquo intelligibili in enuntiatione veridica, et non altera. Similiter, in eodem sensu non omne

intelligibile significatum per istam ‘homo est asinus’ significatur per istam ‘hominis est asinus’, sed ex hoc non sequitur quod sit dare aliquod obiectum intelligibile, quod sit tantum significabile complexe, immo est distincte significabile incomplexo per signum, quod nec est propositio, nec dictum neque cum verbali conceptu, puta Petrus non ens vel non ens huiusmodi, immo potest significari signo nominali non minus quam chimera vel hyrcocervus vel nihil vel intelligibile. Secundo, autem modo concederetur quod omne per se et proprie obiectum intelligibile terminative significatum per unam partem contradictionis significatur per aliam, quia omne intelligibile quod est per se et proprie obiectum terminans hanc apprehensionem est equaliter exhibitum et representatum per aliam apprehensionem, tamen in quadam similitudine et proportione vel transumptione videtur quod aliquod obiectum intelligibile terminat unam apprehensionem et non aliam, quia intelligibile pro quo posito vel sic se habente, aut pro quo non posito vel non sic se habente nata est una verificari non est nata altera verificari sed falsificari, et econtra, ideo intellectus apprehendit per illas quasi diversa per se obiecta intelligibilia terminative, sicut Deum producentem et Deum cessantem intelligit quasi duo obiecta terminative, licet in re non ita sit. Si ergo sustineatur pars affirmativa in secundo sensu.

Ad primum in oppositum, videtur eque reduci contra alios, quia illud intelligibile significatum complexe per affirmationem significabitur per negativam, ut probatum est supra arguendo pro quinta conclusione, et patet per Philosophum secundo Elenchorum, ut supra. Negatur, igitur consequentia, quia nullum intelligibile significatur per istam intelligibile est intelligibile, quod non significetur per istam ‘intelligibile non est intelligibile’, et tamen non significant idem, nec idem sunt intelligibile esse intelligibile, et intelligibile non esse intelligibile. Similiter, de istis terminis significabile et non significabile. Similiter, nullum intelligibile significatur nomine chimere, quin significetur nomine figmenti, et tamen non significant idem actu vel potentia. Dicendum igitur quod hanc propositionem ‘*a* est’, et hanc negativam ‘*a* non est’ significare omnino et precise idem vel eadem non solum importat. Et ad sui veritatem non solum requirit quod omne obiectum per se intelligibile terminative exhibitum per unam exhibeatur per alteram et econtra. Sed etiam quod taliter significatur quod illud intelligibile quod posito et taliter se habens quod et qualiter se habens requiritur et sufficit ad veritatem unius [324a] est idem intelligibili posito, et sic se habenti qualiter requiritur et sufficit ad veritatem alterius, seu quod omnino idem intelligibile se habens, ut requiritur et sufficit ad veritatem huius est se habens ut requiritur et sufficit ad veritatem alterius seu quod hoc

intelligibile est huiusmodi quod significatur per affirmativam, et hoc intelligibile non esse huiusmodi significatum per negativam sunt idem, seu quod intelligibile pro quo sic se habenti verificatur una pars est idem intelligibili pro quo sic se habenti, verificetur alia pars. Si actu, actu, si potentia, potentia, et sic affirmativa et negativa non significant idem, nec idem actu, nec potentia idem, quia impossibile est quod idem intelligibile sic se habeat ut requirit et sufficit veritas utriusque loquendo de omni intelligibili significato, et pro quo verificetur altera pars. Iuxta hunc modum etiam de signis incomplexis, ut intelligibile non intelligibile, homo non homo dicere quod significant omnino idem importaret quod de quocumque, et pro quocumque intelligibili demonstrato verificetur vel supponat unum in propositione veridica et reliquum, quod est falsum. Iuxta hec etiam diceretur quod volens *a* esse et volens *a* non esse non volunt idem, nec actu, nec potentia, quia impossibile est quod intelligibile se habens ut requiritur, et sufficit ad impletionem huius volitionis sit idem intelligibili se habenti, ut requiritur et sufficit ad impletionem illius, nec sequitur. Non iudicant, nec volunt idem obiective, igitur distincta obiective intelligibilia, quia impossibile est dare duo obiecta intelligibilia terminative, quorum unum se habeat et sufficit ad veritatem unius significationis, vel impletionem unius volitionis, et alterum intelligibile se habeat ut requiritur et sufficit ad veritatem vel impletionem alterius. Non tamen negatur quin aliquod idem intelligibile cognoscant vel velint specialiter, si aliquod ens actu sit obiectum utriusque.

Ad primam, igitur, probationem consequentie, negatur maior. Plus enim requiritur.

Ad secundam probationem, negatur consequentia. Patet de istis ‘intelligibile est intelligibile’ et ‘intelligibile non est intelligibile’.

Ad tertiam, dicendum quod non est precise alietas, et differentia in modo intelligendi cum identitate omnimoda in intelligibili significato, ut requiritur ad veritatem intellectionis, nec tamen cum alietate obiectorum per se intelligibilium terminative. Sed cum non identitate obiecti intelligibilis sic se habentis ad intelligibile obiectum non sic se habens, quomodo *a* ens et *a* non ens non sunt idem, nec diversa.

Ad secundum principale. Maior et minor sunt distinguende et patet responsio ex dictis in superioribus.

Ad tertium negatur consequentia. Ad primam probationem patet supra. Ad secundam, ille non significant idem, ut visum est. Nec hoc esset inferre idem ex eodem, nec oportet universaliter in consequentia non necessaria quod consequens importet aliquod intelligibile obiectum quod non antecedens, sufficit quod de eodem intelligibili sit enuntians quod intelligibile se habens, ut requiritur et sufficit ad veritatem antecedentis non necessario et universaliter sit idem intelligibili se habenti ut requiritur et sufficit ad veritatem consequentis.

Ad tertiam probationem, totale significatum propositionis alicuius poni in re potest intelligi dupliciter. Uno modo, quod nullum intelligibile est significatum per illam quod non ponatur in re, et sic negatur maior, quia nec hoc requiritur, nec hoc sufficit. Alio modo, quod in-  
[324b] -telligibile significatum per illam est sic se habens totaliter, qualiter ipsum se habens sufficit ad veritatem illius, vel non sic habens qualiter ipsum non se habens sufficit ad veritatem illius, si sit negativa, et sic negatur minor. Falsum est etiam quod res ita se habeat in re qualiter significatur se habere, id est qualiter se habere exigit veritas illius formalis significationis, nec sequitur quod hoc significat aliquod obiectum per se intelligibile, quod non illa significet, sicut non sequitur hec propositio significat nunc rem esse talem, qualis est et cras non erit verum quod significet rem esse talem qualis est, igitur cras non erit verum quod significet omne intelligibile obiectum, quod nunc significat.

Ad quartam dicendum quod ille est modus essendi se tenens ex parte rei, quia est Socrates ens album, nec habetur propositum, quod aliquod per se obiectum intelligibile significetur per hanc, non per illam. Si enim Socrates sit albus, illud intelligibile quod est Socratem esse album est significatum per utramque. Nullum autem intelligibile quod sit actu Socratem non esse album, significatur tunc per utramque, vel per alteram. Si vero Socrates non sit albus, tunc intelligibile quod non est actu, sed potentia Socratem esse album significatur per utramque, et intelligibile quod est Socratem non esse album significatur per utramque, sed una significat illud esse album, et altera formaliter illud non esse album, et non idem requirunt ad sui veritatem.

Ad quartum, negatur maior. Ad probationem, hec necessaria ‘homo non est asinus’ est vera ex intelligibili quod significatur per affirmativam, quia ex natura hominis et asini. Sed non est vera ex eo quod homo sit asinus, nec ex eo quod intelligibile significatum per affirmativam sit huiusmodi cuiusmodi requireret veritas affirmationis. Ad confirmationem, contingit quod ex



eodem intelligibili vel ex eisdem intelligibilibus non tamen eodem modo se habentibus affirmativa nunc sit vera et negativa vera postea. Contingit etiam quod non ex eodem, quia res destruuntur. Nec tamen sequitur quod ex alio et distincto obiecto intelligibili. Ad probationem antecedentis, prima negatur consequentia, quia licet nullum obiectum intelligibile significetur per hanc, quin per illam tamen ille significationes sunt tales quod impossibile est illud se habere quomodo exigit veritas utriusque. Ad secundam, non infert propositum, quia idem intelligibile nunc est unitum vel compositum cuidam intelligibili, et postea non sine nova impositione obiecti intelligibilis, nisi in quadam similitudine et figura loquendi.

Ad quintum, si antecedens accipiatur universaliter, negatur. Patet in istis terminis 'intelligibile', 'non intelligibile' etc. Si autem intelligatur particulariter, negatur consequentia. Sit enim terminus infinitus, qui significat in confuso omne quod est, et non est illud quod significatur per terminum affirmatum. Negatio autem accipitur equivoce respectu complexi, et respectu incomplexi.

Ad sextum, negatur minor proprie loquendo de oppositione contradictoria. Occasione huius occurrit dubium an aliqua intelligibilia complexe significabilia per propositiones contradictorias opponantur contradictorie. Et arguitur primo quod sic per rationes supra positas ad probationem minoris, si dicitur quod ille propositiones opponantur contradictorie non pro suis obiectis significatis eo quod sua significata opponantur, nec quia opponantur secundum suas realitates naturales. Sed opponuntur quoad veritatem et falsitatem, quia non possunt simul esse vere, vel simul false. Sed si una est vera altera est falsa et econtra. Contra: repugnantia et impossibilitas prior et causalis respectu repugnantie et impossibilitatis signorum quoad veritatem et falsitatem est alia oppositio ab oppositione signorum huiusmodi, sed repugnantia alia obiective significabilium per propositiones contradictorias est huiusmodi. Probo, quia repugnantia et impossibilitas secundum quam est repugnans et impossibile *a* esse et non esse simul in re extra est prior et causa quare impossibile est illas [325a] propositiones esse simul veras. Probatur primo, quia ideo ille non possunt simul esse vere, quia non est possibile eandem rem simul esse et non esse. Secundo, idem oritur et accipitur compossibilitas vel impossibilitas propositionum in veritate vel falsitate. Unde, accipitur veritas et falsitas propositionum, sed hoc est ex obiective significato, ergo.

Tertio, sicut se habet *a* esse ad veritatem istius '*a* est', et sicut *a* non esse ad veritatem istius '*a* non est', ita *a* esse et *a* non esse ad veritates illarum. Sed *a* esse est prius et causa respectu veritatis illius secundum Philosophum, igitur.

Quarto, eorum impossibilitas est causa impossibilitatis veritatum huiusmodi propositionum, quorum successio est causa successive veritatis illarum, sed successio qua post *a* esse sequitur *a* non esse est causa successive veritatis negative post affirmativam, igitur. Secundo, principaliter arguitur quod aliqua oppositio contradictoria est inter significabilia per affirmationem et negationem, sic *a* esse et *a* non esse opponuntur et non alia specie oppositionis quam contradictorie, et sunt obiective significata per propositiones contradictorias. Accipio enim illa dicta personaliter et significative, igitur. Prima pars antecedentis probatur: tum quia sibi repugnant et sunt impossibilia, licet sibi succedant, tum quia se habent ut terminus a quo et terminus ad quem creationis vel productionis; tum quia opiniones et iudicia respectu illorum sunt contraria, igitur sunt respectu oppositorum. Assensus enim qui sunt respectu eiusdem vel respectu disparatorum non oppositorum non sunt contrarii; tum quia volitiones contrarie sunt respectu oppositorum.

In oppositum arguitur primo. Si hunc hominem esse album et hunc hominem non esse album, sunt intelligibilia contradictorie opposita sumptis terminis et dictis personaliter et figurative, sequitur quod hic homo et hunc hominem non esse album opponuntur contradictorie. Probo consequentiam, quia hunc hominem esse album est hic homo albus, et hic homo albus est hic homo, ut in superioribus probatum est. Sed consequens est falsum, tum quia sunt compossibilia, tum quia signa correspondentia essent opposita contradictorie. Item, sequitur quod hunc hominem currere et hunc hominem non currere velociter opponuntur contradictorie. Consequens est falsum, tum quia simul stant, tum quia signa huiusmodi non opponuntur contradictorie, igitur nec intelligibilia significata. Probatio consequentie, quia hunc hominem currere velociter opponitur contradictorie huic intelligibili quod est hunc hominem non currere velociter, sed hunc hominem currere velociter est hunc hominem currere, igitur hunc hominem currere opponitur contradictorie huic intelligibili, quod est hunc hominem non currere velociter. Per idem arguitur quod hoc esse coloratum, et hoc non esse album opponuntur contradictorie, quia hoc esse album opponitur contradictorie huic, quod est hoc non esse album, sed hoc esse album est hoc esse coloratum, igitur. Per idem arguitur quod hunc hominem non currere, et quandam

hominem currere opponuntur contradictorie, quia hunc hominem currere est quendam hominem currere, et ita in multis aliis. Probatur enim per syllogismum expository in quo non erit fallacia, nec variatio suppositionis, quia semper summuntur dicta personaliter et significative pro intelligibili complexe significabili, unde etiam similis discursus tenet si arguatur de oppositione contrariorum sic. Albedo contrariatur nigredini, et albedo est aliquis color, igitur aliquis color contrariatur nigredini. Similis etiam forma arguendi tenet, si arguatur de oppositione propositionum, ut si hec propositio omnis homo currit opponatur contradictorie isti ‘aliquis homo non currit’, et illa est quodam signum complexum, sequitur quod aliquod signum complexum opponitur contradictorie isti propositioni ‘aliquis homo non currit’. Preterea, sequitur quod quelibet negativa est implicans contradictionem, quia formaliter significabit obiecta illa intelligibilia contradictorie opposita. Intelligibile enim **[325b]** huiusmodi significatum complexe per affirmationem significabitur per negativam, ut probatum est supra. Preterea, per propositionem necessariam et per contradictoriam impossibilem non significantur intelligibilia opposita contradictorie, igitur nec per alias contingentes. Antecedens probatur primo, si hec propositio Deus non est per nullam potentiam posset poni in esse, sed esset figmentum ut chimera, tunc hec propositio ‘Deus est’ non haberet contradictorie oppositam. Igitur, si significatum illius negative per nullam potentiam potest poni in esse, sequitur quod affirmative significatum non habet contradictorie oppositum. Secundo, sit *a* intelligibile significatum complexe per istam ‘chimera est’ vel ‘Petrus est asinus’, et sit *b* obiectum intelligibile complexe significatum per istam ‘chimera non est’, vel ‘Petrus non est asinus’. Tunc sic: aut *a* intelligibile est actualiter positum extra animam, aut non. Si primum, igitur hec est vera ‘chimera est’, et ‘Petrus est asinus’, quia significatum complexe per eam, ponitur in re, et ita ponitur in re sicut poni significatur. Si secundum, aut igitur *b* intelligibile ponitur actualiter ex animam, aut non. Si secundum, igitur neutrum contradictorie oppositorum ponitur actualiter, ergo neutra pars propositionum contradictoriarum est vera, sed utraque est consimiliter falsa vel consimiliter vera, quia intelligibile significatum complexe per unam, et propterea una nata esset verificari, non magis ponitur quam intelligibile significatum complexe per alteram, et ita erit medium inter contradictoria. Si contra primum, contra dupliciter primo, quia *b* intelligibile esset nobilius quam Petrum esse, quia esset intelligibile obiectum actualiter positum et necessarium non minus quam Deum esse, nec Deus potest illud obiectum intelligibile tollere. Secundo, quia *b* intelligibile non minus est impossibile et figmentum quam *a*, igitur non magis est actualiter

positum quam *a* et ultra, igitur eque est ista impossibilis ‘Petrus non est asinus’, sicut ista ‘Petrus est asinus’, et ultra, igitur *a* et *b* non opponuntur contradictorie, quia impossibile non contradicit impossibili, sed necessarium impossibili. Antecedens probatur: intelligibile quod omnino nihil est nullam realitatem habens magis quam *a* vel quam angelus creandus, nec potest transire seu exire ab illa nihileitate ad aliam entitatem seu ad aliquod esse quod est intelligibile impossibile, immo figmentum non minus quam chimera, sed *b* puta chimeram non esse est intelligibile huiusmodi, ergo vel sic. Illa intelligibilia sunt equaliter impossibilia que equaliter nihil sunt, sicut angelus anihilatus, nec unum plus participat aliquam entitatem formaliter quam reliquum et equaliter est impossibile unum exire suam nihileitatem, et transire ad esse seu entitatem, sicut reliquum. Sed *a* et *b* sunt huiusmodi, quia si *b* transiret a sua nihileitate ad aliquod esse, tunc esset novum positivum et noviter esset verum chimeram non esse. Si dicitur quod *b* intelligibile non est aliquid positivum, sed est intelligibile privativum et quamvis non ponatur, nec poni possit in actu positivo, sicut nec *a*, tamen est actu et necessario positum in suo modo essendi in actu, seu ponendi puta secundum modum privationis. Contra: multipliciter primo stat ratio prior, quia illud intelligibile non minus est impossibile et figmentum quam *a*, quod equaliter est pure nihil etc.

Confirmatur: aut *a* est intelligibile pure privativum, aut positivum. Si secundum, igitur non est omnino nihil. Si primum, igitur *a* et *b* sunt intelligibilia eque privativa, et equaliter omnino nihil et equaliter impossibilia, nec unum potest esse positivum magis quam reliquum, vel magis exire privationem quam reliquum, igitur non magis est unum positum in actu quam reliquum. Item, omne intelligibile privativum est privativum alicuius positivi actualis vel potentialis. Sed *b* intelligibile non est privativum alicuius privati actu vel potentiam, ergo. Maior patet, quia privativum non intelligitur nisi in habitudine ad positivum quod privat. Minor patet, quia *a* intelligibile esset positivum actuale vel potentiale, quod est falsum, quia est figmentum. Confirmatur: aut *b* intelligibile est priva- **[326a]** -tivum positivi aut privati. Si primum, igitur *a* secundum chimeram esse est intelligibile positivum. Si secundum, igitur *b* est intelligibile positivum. Probatio, quia privare seu tollere et removeere privationem est ponere oppositum positivum, sicut negatio negationis est secundum equivalentiam positio affirmationis. Item, nullum intelligibile pure privativum opponitur contradictorie pure privato, quia magis opponitur positivo, igitur *a* et *b* non essent opposita contradictorie. Item, sicut *c* intelligibile significatum complexe per istam ‘Gabriel non est vel non vivit’, aut igitur *c* est

intelligibile eque pure privativum, sicut *a* vel *b* et non magis positivum actu vel potentia quam *a* vel *b*, aut non. Si primum, igitur utrumque est intelligibile eque omnino nihil actu vel potentia, igitur equaliter impossibilia vel equaliter necessaria. Si secundum, cum non sit magis positivum actu, igitur in potentia ponatur in esse, igitur Gabrielem non esse erit intelligibile positivum in actu positum quod est contradictio, quia necdum Gabriel est, necdum Gabriel non est. Item, privativum non intelligitur nisi intelligendo illud cuius est formaliter privativum, igitur *b* non intelligitur quin intelligatur *a*, sed possibile est quod formetur negativa absque hoc quod formetur affirmativa, saltem per Dei potentiam, igitur per solam negativam formaliter intelligitur et significatur *b* et *a*, igitur negativa implicat contradictionem.

Quarto, principaliter arguitur sic: *a* intelligibile, scilicet Petrum esse album, et *b* intelligibile, scilicet Petrum non esse album aut sunt obiecta intelligibilia eiusdem rationis, aut alterius. Si primum, igitur non opponuntur contradictorie. Si secundum, contra primo, quia Petrus ens albus et Petrus non ens albus essent proportionabiliter obiecta intelligibilia alterius rationis quod est falsum, quia idem obiectum numero est successive hoc et illud, secundo quia non sunt alterius rationis totaliter secundum se tota, quia includunt quedam eiusdem rationis. Quero igitur que sunt obiecta intelligibilia inclusa in illis que sunt primo, et totaliter alterius rationis, et non poterit dari.

Tertio, quia si sunt alterius rationis, nec unum sit pars alterius, igitur sunt obiecta disparata, igitur unum potest intelligi nullo alterius intellectu, immo poterunt poni simul demonstrative, saltem in diversis locis.

Preterea, aut *b* intelligibile, scilicet Petrum non esse asinum includit formaliter intrinsece *a* intelligibile, scilicet Petrum esse asinum aut non. Si secundum, contra primo, quia hoc signum includit omnia signa contenta in illo complexo. Secundo, quia cum *a* intelligibile non includat *b*, sequitur quod *a* et *b* sunt obiecta intelligibilia omnino disparata, et nullo intelligibili communicantia, quod est falsum, quia communicant in intelligibili significato per subiectum et predicatum, et quia non opponerentur contradictorie magis quam quecumque disparata. Si detur primum, scilicet quod *b* includat *a*, contra primo, quia obiecta contradictorie opposita se haberent ut pars et totum, et ut continens et contentum, igitur alterum exigeret et inferret alterum. Secundo, quia quelibet negativa implicaret contradictionem. Tertio, si *b* includit *a*, igitur non precise includit *a*, sed preter *a* et ultra *a* includit aliquod alterum intelligibile. Sit igitur *c* illud

intelligibile quod addit preter *a* et ultra *a*, tunc *c* non includit *a*, nec aliquid eius, igitur *c* est obiectum intelligibile significabile incomplexum. Si enim esset significabile complexum, includeret *a* vel esset *a*. Confirmatur: hec tota ratio sic, aut *a* et *b* se totis totaliter distinguuntur sic quod in nullo eodem obiecto intelligibili conveniunt, et communicant et nullum obiectum intelligibile idem includitur in utroque, aut non totaliter et se totis distinguuntur, sed in aliquo uno obiecto intelligibili conveniunt, et communicant. Si primum, contra: tum quia conveniunt et communicant in obiecto incomplexo significabili per extremum, tum quia non idem intelligibile affirmaretur et negaretur, et ita non essent propositiones contradictorie. Si secundum contra, tum quia idem obiectum positivum essentialiter includeretur in obiectis illis contradictorie oppositis, igitur plus con-[326b]-venirent quam contraria, immo quam Socrates et Plato, tum quia sequitur quod *a* et *b* non distinguuntur, nec opponuntur seipsis primo, sed aliquo sui vel aliquibus sui primo. Sed hoc est falsum, quia sint *c*, *d*, ea quibus primo differunt et opponuntur, tunc vel *c* et *d* conveniunt et communicant in aliquo uno obiecto intelligibili vel non, et arguitur ut prius. Preterea, sit Petrus modo existens tunc si huic intelligibili Petrum esse opponeretur contradictorie Petrum non esse, aut igitur non esse Petri precedens esse Petri aut sequens, aut concomitans. Si primum vel secundum contra, quia Petrum esse nunc in presenti non contradicit non esse Petri precedenti, nec sequenti, quia se habent ut esse et non esse pro alio et alio tempore. Si tertium, igitur esse Petri et non esse Petri concomitantur et simul ponuntur, et cum impossibile sit non esse Petri concomitans esse Petri, sequitur quod contradictorie oppositum isti intelligibili Petrum esse est impossibile, igitur Petrum esse est necessarium, si dicitur quod nec sic, nec sic. Sed Petrum non esse absolute. Contra, quia omnino impossibile est quod hoc intelligibile significabile complexum quod esset Petrum non esse, nec precedat nec sequatur, nec concomitatur esse Petri. Preterea, oppositio contradictoria non est nisi inter propositiones et signa. Patet, quia contradictio diffinitur, quod est affirmatio et negatio eiusdem de eodem etc. Et quia proprius est contradictorie oppositorum, quod si unum est verum, reliquum est falsum et e contra, sed veritas et falsitas sunt proprietates signi complexi. Dices: verum potest sumi ut est proprietas signi complexi, et ut est conditio entis, primo Ethicorum, “verum et ens convertuntur”, et 6 Metaphysice, igitur contradictorie oppositorum alterum est verum, quia alterum ponitur, scilicet significatum per propositionem veram. Contra: quod non est ens et aliquid sed pure nihil actu et potentia non minus quam chymera non est verum, sed obiectum intelligibile significatum complexum per istam ‘Socrates non est Plato’ erit huiusmodi.

Item, contra hanc responsionem videtur articulus parisiensis, capitulo 4, ubi dicitur quod multe veritates fuerunt ab eterno, que non fuerunt ipse Deus, error.

Preterea, sequitur quod isti 'quodlibet animal currit' magis per se et primo opponitur contradictorie ista 'quodlibet animal non currit' quam ista 'nullum animal currit'. Probatio, quia hoc intelligibile quod est quodlibet animal currere, et hoc intelligibile quod est quodlibet animal non currere se habent ut idem intelligibile, et videtur negatio illius precise et adequate propositioni etiam affirmanti et ponenti formaliter et directe aliquod intelligibile significabile complexe opponitur contradictorie per se et primo illa propositio que per se formaliter et distincte et adequate negat illud. Per idem arguitur quod magis opponerentur contradictorie universalis affirmativa et universalis negativa quam particularis negativa. Responsio: sine assertionem oppositionem contradictoriam esse inter aliqua potest accipi per se et proprie. Alio modo large et transumptive et in similitudine, primo modo est tantum signorum. Secundo modo, potest dici inter intelligibilia correspondentia notitiis complexis. Secundum, enim quandam similitudinem ad contraria sibi succedentia circa idem obiectum cum attribuimus esse et non esse eidem vel esse huiusmodi et non esse huiusmodi intelligimus in similitudine quasi obiecta intelligibilia opposita in respectu ad idem intelligibile, et quasi res sic se habens et res non sic se habens forent opposita obiecta sibi nata succedere, sicut intelligere hominem in communi videtur in figura intelligendi intelligere quodam obiectum intelligibile commune extra animam multis et abstractum ab illis. Sed non est ita.

Item, sicut impossibile est propositiones contradictorias esse simul veras, sed possibile est eas successive verificari, ita impossibile est quod idem intelligibile simul sit huiusmodi, et non sit huiusmodi, sed possibile est quod successive, ideo in quadam similitudine videtur oppositio in obiectis correspondens oppositioni signorum.

Ad primum, igitur, in oppositum potest dici quod Aristoteles, in libro Predicamentorum, multa dicit potius secundum famositatem, quasi recitando communia dicta quam asserendo, ob hoc enim dicit vetus logica, quia dicta antiqua [327a]et communia continet, dicit etiam quedam capitula de quantitate, quorum opposita dicit 5 Metaphysice, capitulo de quanto.

Item, potest dici quod quamvis secundum rei veritatem et proprietatem verbi oppositio contradictoria non sit, nisi signorum tamen in quadam similitudine et transumptione et figura

loquendi potest dici correspondere oppositioni obiective intelligibilibus, quia cum intelligimus *a* esse huiusmodi, et *a* non esse huiusmodi intelligi, minus quasi quedam opposita obiective in respectu ad idem acceptum per modum subiecti, et quia sicut propositiones contradictorie non sunt simul vere, ita idem non est in re simul huiusmodi et non huiusmodi. Nec ex hoc sequitur oppositio obiectorum extra intelligibilium, sed impossibilitas cuiuscumque obiective intelligibilis de quo, et pro quo sit simul verificabilis affirmatio et negatio. Item, potest dici quod Aristoteles intendit oppositionem contradictoriam esse non solum inter signa complexa que sunt propositiones, sed etiam inter dicta correspondentia que sunt quasi expositio, et resolutio significationis propositionis.

Ad confirmationem, dicendum quod has duas propositiones '*a* est' et '*a* non est' opponi contradictorie secundum se et propter se potest intelligi dupliciter. Uno modo, quia ipsemet sunt ea que opponuntur contradictorie, nec dicuntur opponi contradictorie ex hoc solum quod quedam alia significata per ipsas opponantur contradictorie, immo opponi contradictorie dicitur de subiecto supponente personaliter pro illis propositionibus, et sic conceditur quod opponuntur secundum se et propter se non pro significatis, nec obstat quod simul stant in intellectu, vel quod communicant in aliquibus terminis. Sufficit enim quod non possint simul esse vere vel false, et quod impossibile sit dari quodcumque obiective intelligibile pro quo nata sit utraque verificari vel falsificari, et sit se habente ut requirit veritas vel falsitas utriusque. Alio modo quod iste propositiones opponerentur contradictorie circumscripta significatione et circumscripto respectu ad significata, et quamvis non significarent aliud pro quo essent acceptibiles. Potest etiam intelligi quod oppositionis illarum non est causa, vel quod non sit alia propositio causalis respectu huiusmodi he propositiones opponuntur, et his modis dicendum quod non secundum se, nec propter se opponuntur sed quia talia talia signa taliter significantia, et si non essent signa sed qualitates mere absolute non opponerentur contradictorie, nec ex hoc sequitur quod oppositio sit primo significatorum, sicut conceptus animalis et conceptus hominis se habent ut genus predicabile inferius secundum se et propter se non propter res significatas, quia ipsimet conceptus sunt ea que sunt genus, et species, non tamen secundum se et propter se, id est circumscripta significatione, et si non essent signa acceptibilia et supponentia pro aliquo.

Conceditur igitur responsio supra posita. Ad improbationem, negatur maior. Ad primam probationem concedo quod ideo impossibile est illas duas formatas esse simul veras, quia



impossibile est *a* simul esse et non esse, et concedo quod hec secunda propositio est quasi causalis respectu prioris. Sed ex hoc non sequitur quod impossibilitas secundum quam impossibile est *a* simul esse et non esse sit quedam oppositio contradictoria quorundam intelligibilium secundum veritatem, nec etiam est repugnantia vel impossibilitas aliquorum obiectorum per se terminative intelligibilium. Sed est repugnantia et impossibilitas secundum quam impossibile est esse et dari aliquod obiective intelligibile, quod sit et non sit, et pro quo possint contradictorie opposita verificari.

Ad secundam probationem. Non probat oppositionem esse prius in obiectis intelligibilibus significatis, sed solum quod propositio enuntians oppositionem contradictoriam de aliquibus propositionibus vel enuntians impossibilitatem veritatis. De illis habet aliam propositionem causalem que etiam est de modo impossibilitatis. Ad tertiam per idem sic etiam diceretur quod ideo animal est genus superius ad hominem, quia omnis homo est animal non econtra, et tamen ratio generis et superioris et speciei non sunt in obiectis intellectis **[327b]**

Ad quartam, minor accepta proprie et complete implicat falsum, quia successio secundum quam post *a* esse sequitur *a* non esse est successio aliquorum obiectorum proprie et terminative sibi succedentium. Sed in quadam similitudine et figura ad successionem vere oppositorum circa idem. Ratio autem si reducitur ad debitam formam probat solum id quod supra dictum est, scilicet quod una propositio est prior et causalis respectu alterius.

Ad secundum principaliter adductum negatur prima pars antecedentis. Ad primam probationem, non repugnant tamquam duo obiecta vere intelligibilia sibi succedentia, sed ut supra dictum est. Ad secundam non infert propositum. Quomodo enim intelligitur quod terminus a quo et terminus ad quem opponuntur, patet supra, distinctione 2. Sicut etiam album et nigrum opponi dicuntur sumptis terminis personaliter, et significative. Non enim est propria locutio, sed reducende sunt in alias, puta quod impossibile est aliquod intelligibile simul se habere, ut *a* se habet post generationem, et post corruptionem.

Ad tertiam assensu contrarios non oportet esse respectu distinctorum obiectorum terminative et proprie oppositorum nisi secundum similitudinem, et equivalentiam, sicut conceptus communes dicuntur esse respectu obiective intelligibilium universalium, nec sunt proprie respectu eiusdem intelligibilis omnino et precise, quia hec denotarent quod idem intelligibile est se habens ut

sufficit ad veritatem utriusque assensus et quod intelligibile se habens ut requiritur et sufficit ad veritatem huius assensus sit idem intelligibili se habenti ut requiritur ad veritatem alterius assensus, tamen in similitudine et equivalentia dicuntur esse respectu obiectorum oppositorum, quia impossibile est aliquod intelligibile dari pro quo simul verificetur uterque assensus, sed pro quo aliter et aliter se habente successive verificatur, et obiectum sic se habens et idem non sic se habens non sunt secundum veritatem et rei proprietatem, nec alterum nec alterum intelligibile, nec sunt idem intelligibile.

Ad quartam per idem, quod enim exigitur ad veritatem assensus exigitur ad impletionem volitionis conformis. Contra predicta arguitur primo cum impossibile sit illas propositiones esse similiter veras, quia impossibile et repugnans est *a* simul esse huiusmodi et non esse huiusmodi, igitur est dare repugnantiam et impossibilitatem aliam preter repugnantiam, et impossibilitatem illarum veritatum, seu illarum propositionum quoad veritatem. Aut igitur illa repugnantia et impossibilitas est cuiusdam intelligibilis ad seipsum, aut ad alterum intelligibile. Si primum, contra: quia nullum intelligibile est repugnans et impossibile sibi ipsi, quia non alicuius mere incomplexo significabilis ad seipsum, ergo alicuius tantum complexe significabilis, et habetur propositum. Si secundum, habetur propositum, et ultra. Aut alicuius intelligibilis incomplexo ad alterum intelligibile incomplexo. Patet quod non, quia talia non opponuntur contradictorie, aut alicuius intelligibilis complexe ad alterum intelligibile complexe, et habetur propositum. Respondeo secundum proprietatem rei loquendo, nec est dicendum quod sit repugnantia cuiusdam intelligibilis ad seipsum, nec ad alterum obiectum intelligibile, sed est repugnantia et impossibilitas secundum quam impossibile est aliquod intelligibile dari quod simul sit et non sit, vel secundum quam impossibile est quod intelligibile ens huiusmodi sit idem alicui intelligibili non enti huiusmodi. Loquendo autem improprie et in similitudine potest dici quod est repugnantia eiusdem intelligibilis ad seipsum non secundum quam aliquid sit repugnans sibi ipsi, sed est repugnantia alicuius intelligibilis ut entis huiusmodi ad seipsum, ut non ens huiusmodi. Potest etiam dici improprie loquendo quod est repugnantia quasi cuiusdam intelligibilis ad alterum intelligibile, quia ad intelligibile non idem actu, nec potentia, seu quod est repugnantia secundum quam repugnans est quod aliquod intelligibile ens huiusmodi sit unum et idem intelligibili non enti simul huiusmodi. Ex his patet quid dicendum ad questionem.

Ad argumentum in principio questionis conceditur consequens naturaliter **[328a]** non quoad compossibilitatem veritatis, vel quoad possibilitatem obiective intelligibilis se habentis ut requiritur et sufficit ad veritatem utriusque, et negatur ulterior consequentia, scilicet quod non opponerentur.